ALBIS
NOBILISSIMUS GERMANIÆ FLUVIUS
ANNO
Millesimo Septingentesimo Decimo Septimo cum magna hominum, pecorum, domorum, frumentorum strage vehementer exundans
POESI
GRAVI, FLUIDA, MULTUM RHYTHMICA, CLARISSIMA PROPOSITUS
MAGNO ROMANORUM IMPERATORI
REGI PACIFICO
CAROLO SEXTO
humillimè dedicatus

à R. P. HENRICO SCHREIBER
Soc. JESU Theologo
olim Cæsareo, Otterendorpii ad Albim Missionario

Cujus etiam accessit
MUSA FUNEBRIS ET GRATULA[TORIA]
Permissu Superiorum.

Monasterii Westphaliæ
Typis HÆREDUM RAESFELDII Anno 1733.

MAGNE

ROMANORUM IMPERATOR

REX PACIFICE

AUGUSTISSIME CLEMENTISSIME DOMINE

POſt fractos hoſtes, poſt lauros plurimas à gente inimica raptas, poſt centum aquilæ Romanæ victorias, poſt ingentem Martis Auſtriaci gloriam, pacem donas univerſæ Europæ, pacem conſiliis foves, pacem clementiâ nutris, pacem ſacrâ Majeſtate tuâ munis, protegis, & inconcuſſam tueris.

Et ecce dum pace datâ, ſilent arma, ſilent claſſica, ſilent nitrata to-

nitrua, ſilent decertantium furiæ, animos concipit, caput erigit literaria Pallas & ſuas Muſas in publica educit gloriæ ſcholaſticæ theatra: ubi ſine nitro, ſine ſanguine, ſine vulnere, ſine clade ſua ludant verboſa ingenii certamina, ſuâ tum oratoriâ, tum poëticâ facundiâ æmulam vincant perorantis antagoniſtæ eloquentiam: ſuo tum ſoluto, tum ligato ſtylo glorioſa heroum facinora ſub roſtris diſertiſſimè declament: aut præclaros eorum manes lugubri parentante metro ſolemniter honorent: talibus demum præliis eruditi ſcholares palæſtritæ concurrant, quorum laudabilis gloria in ſplendore ſupereminentis ſcientiæ non minitantis ferri rigore conſiſtat.

Et mea quidem Muſa hoc donato pacis otio negotioſè uſura, exundantem

dantem ante annos aliquot multâ cum ſtrage Germanicum Albim, & ejus fluvii, ripas aggeréſq; egreſſi furias, accolarum cladem, ſegetis enatæ ſepulchrũ, triſtiſſimam regionis adſitæ faciem, olim latino metro, gravi, fluido, multùm rhythmico clariſſimo propoſuit: ita tamen, ut tragœda fata modico lepore temperaverit: dũ iras ætherei Jovis, per juſſam eluvionem punientis, & Dearum diſſuadentium, deprecantiũ, obnitentium rhythmicam ſuaveloquentiã ingenioſo & dulci luſu immiſcuit: præterea magnatũ aliquot ad Albim defunctorum glorioſis cinerib⁹ ſolido metro & lugubri oda pridem parentavit: aliorum felicio- ra fata poëſi gratulatoriâ dudum honoravit: quæ omnia nunc ad limam revocata meliorem faciem induerunt.

Tan-

Tantúmq; simul de singulari clementiâ Augustissimo Austriaco sanguini innatâ hæc mea Musa præsumpsit: ut se ad sacros suæ Majestatis thronos obsequiosissima sistat, has pacis artes, hos pacis fructus, hos pacis & ingenii ludos, Regi pacifico CAROLO Sexto, quo unquam potest humillimo, officiosissimo, devotissimo venerationis affectu oblatura.

Quid ni enim pacis fructus ad pacis authorem, in aliquod pro donatâ malaciâ, grati animi monumentum, redeant!

Sanè flumina ad pontum, unde exiverunt, revertuntur: velut toti mundo gratitudinis ergo prædicatura, se à magno pelago ceu parente spumantes suos fluctus hausisse.

Redit ad suum solem heliotropium, dum vultum perpetuò ad phoe-

beam

beam iſtam flammam convertit: illúmq; in grati affectûs mnemoſynon quaſi adorat, à quo flos ille ſuo aureo vellere fuit liberaliſſimè donatus.

Enata tellure germina ad terram grata redeunt; dum illi ſua iterum ſemina, velut vectigal, velut aliqualem gratitudinis teſſeram reſtituunt.

Et cùm à Rege pacifico CAROLO Sexto id ſingularis gratiæ habeant Muſæ, ut quaſi reviviſcant, nativo decore frontem veſtitæ ſine timore in publicum prodeant, nullo Marte intertumultuante ſua docta ludant certamina: profectò non poteſt aliter Muſa mea, quàm ut ad Regem pacificum CAROLUM ſextum tanti muneris authorem officioſiſſima redeat, & ſuos literarios labores, ſuos poëticos luſus, ſuum

ſcholaſticum Martem ſumma cum devotione Cæſareo Mecœnati CAROLO offerat, dicet, conſecret.

Et cùm ego prætereà ſuæ Majeſtatis gratioſo juſſu, Cæſareo, quod Otterendorpii ad Albim erat, militari præſidio, fuerim olim adjunctus Miſſionarius & Paſtor, ſtipendio donatus, diplomatibus munitus ingratiſſimi pecoris non effugerem crimen, ſi ſacrâ Cæſareâ Majeſtate præteritâ, alteri hæc poëtica Parnaſſi ſtudia inſcriberem.

Exurge ergo mea Muſa, propera, curre, vola ad ſolium magni Romanorum Imperatoris CAROLI Sexti: iſtic procumbe prona, & tuos pierios ſudores, téq; ipſam totam novo huic Carolino Apollini dica & conſecra, & ſimul votivum epos accine:

CA-

)(

CAROLUS vivat, generosa mundi
Gloria: & spumis velut è profundi
Major exurgit meliórque Phœbus
vitáque rebus:
Clarior talis CAROLUS procellis
Omnibus surgat, veniátque bellis
A suis major, sua fama crescat
palma virescat.
Hostium victor, domitorque vive
CAROLE: à falso tibi quando cive
Bella tentantur; trepident ut urbis
mœnia turbis:
Victor in vulgus rue turbulentum:
Classibus crimen tere virulentum:
Sub tuis donec pedibus gemiscant,
bruta tremiscant.
Exterus quando volat ad machæram,
Evocans orco sociam Megæram,
Gloriam, tristem trahat in ruinam
ut Carolinam:
Grandis existas ibi fulminator:
Ut gravis vindex furat Imperator:
Hostibus fiat Caroliquc nomen
funeris omen.
Turca si forsan reparet furorem,
* Teutonum rursus sitiens cruorem,

 Vasta

* Teutones, Germani sunt.

Vaſta quo fuſo riget Ungarorum
regna tuorum:
CAROLUS fulmen Jovis æmulatus
Intonet fortis: bene laureatus
Surgat à pugnis, ſcythicis putatus
vincere natus.
Téque bellorum dominum Gradivum,
Fulmen in caſtris aciéque vivum
Te ter adjuro propriam per haſtam
ſanguine paſtam:
Hoſticæ quando CAROLUS cohorti
Acer occurrit, gladioque forti
Incubat turmis, cupidus furentem
ſternere gentem:
Ipſe tunc Mavors tueare tuto
Hectorem noſtrum populoſque ſcuto:
Sis ſupra Regis ferientis arma
Martia parma.
Da tui, Mavors, lateris ſacratum
CAROLO ferrum: tonitru nitratum
Præpara ſolers: gladióſque libra.
teláque vibra:
Propriis, Mavors, rape de medullis
Entheam flammam, gravibus Catullis
Sæpe cantatam, cui par Tibullus
carmine nullus:
CAROLI noſtri gremium favillis
Bellicis

Bellicis Mavors repleas ab illis:
Pugnet ut felix, veniátque vivi
more Gradivi:
Quáque perrumpit gladio tonante,
Castra cum lauro veniant ovante,
Gloriæ sertis CAROLUM coronent,
munera donent.
Metra victori tua lude Clio:
Infremat festum locus omnis Jo:
Vivat, exclament novus Hector ille
sæcula mille.
Dum super pontum sonuere bella:
Ipsamet pugnas tremat ut procella
Tethys est quando rubefacta tota,
sanguine lota:
Offerat Nereus CAROLO tridentem:
Dirigat classem Deus hic fluentem:
Obviet, Theseus veluti fidelis,
undique velis:
Monstra componat, domet ille fluctus:
Rostra ne turbet Carolina luctus:
Nec sit heroi, ratibúsve mœstus
æquoris æstus.
Túque per pontum CAROLO favebis
Æole, & Regi Domino studebis
Omnibus ventis, mare dum carina
nat Carolina.

Hinc

Hinc tuo quando vehementiore
Indigent Cauro Boreàve proræ:
Concito cursu volet ut profundas
nauta per undas:
Adsit optatus Boreas aplustris,
Caurus è cæcis veniátque lustris:
Cum suis classis volet acta malis
fulminis alis.
Interim dum sic pia Musa ludit:
Et suos rhythmos peregrina fudit:
Estque cantatis numeris faceta
carmine læta:
Tesseras nostri modicas amoris
Ponimus, princeps, cupimúsque noris
Cordis affectum tibi serviendi
atque placendi.
Jo millenos CAROLUS per annos
Vivat Augustus: scythicos tyrannos,
Hostium quodvis genus ense tundat,
milite fundat.
Filio Regem superi beate:
Austrio fulcrum solio parate,
Quo cadens regni decus erigatur,
restituatur.
Stelleas aulas, pia vota sancto
Impetu pulsent, gemitúque tanto:
Æstus ut possit penetrare nubes
currere pubes.

Eja vim cœlis facitote vota
Patriæ luctu lachtymante lota:
Filium Augſtum Carolo obtinete
regna tenete.
Audiant cœli bona vota mites,
Audiant blandi ſuperûm Quirites:
Audiat Numen, ſinat impetrare
regnáque ſtare.
Fallor? audimur? ſtrepit ipſe cardo
Aureus cœli: ſacra porta tardo
Panditur pulſu, fuit axe totus
incola motus.
Hectorem parvum puto ſpondet axis:
Jubili frænis reſonate laxis:
Læta, qnæ dudum gemebunda mœret
Auſtria ſperet.
Fauſtitas omnis beet optimámque
Imperarricem, meritiſſimámque
Auſtriæ Nympham præeant beati
ordine nati.
Quæque de magno CAROLO puellæ,
Ut duæ ſplendent radiántque ſtellæ,
Neſtoris cani ſuperent beato
ſæcula fato.
Omnibus demum tribuat polorum
Conditor cœlos: ubi jubilorum
Meſſis æternet: ſaturéntque plenè
gaudia ſcenæ.

In-

Interim quicquid teneo cruoris,
Æstuat quicquid gremio caloris,
Hoc sit Augustæ domui dicatum
omne sacratum.

Dum verò mea Musa sic sua vota, sic suos affectus, sic suos amores, sic sua venerandi studia humillimè devotissimè effundit, dignare Magne CAROLE, Clementissime Domine, boni consulere venerantis & amantis officia: dignare oblatos labores metricos clementer admittere: dignare ludos hos Apollineos benigno vultu suscipere: dignare literaria certamina tuâ gratiâ animare, tuo scuto protegere, tuâ authoritate ab hostium incursu defendere: cui gratioso favori velint benigni cœlites copiosis gratiis respondere, & Magnum CAROLUM sanum & integrum in annos plurimos conservare, gloriâ, & vi-

)(

ctoriâ, pace & quiete, prole masculâ paternorum decorum hærede beare, & post longam annorum felicissimorum seriem æternâ in cœlis gloriâ coronare.

Ita sincerissimo affectu centies optat Sacræ Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis

Humillimus officiosissimus servus

Monasterii Westphaliæ
1733.

HENRICUS SCHREIBER
Soc. JESU Theologus,
olim Cæsareus Otterendorpii ad Albim
MISSIONARIUS.

LIBER
PRIMUS.

ALBIS EXUNDANS.

APPROBATIO.

EGO *infrascriptus* Soc. JESU *per Provinciam Rheni inferioris præpositus Provincialis, potestate mihi ab admodum Reverendo patre nostro* FRANCISCO RETZ. *præposito Generali ad id factâ, concedo, hæredibus Raesfeldii Typographi Monast. Westphaliæ facultatem excudendi librum, non tamen recudendi, cui titulus:* ALBIS, Nobilissimus Germaniæ fluvius Anno Millesimo Septingentesimo Decimo Septimo cum magna hominum, pecorum, domorum, frumentorum strage vehementer exundans poësi gravi fluidâ, multùm rhythmicâ, clarissimâ propositus: item Musa funebris & gratulatoria *à Reverendo Patre* HENRICO SCHREIBER Societatis JESU Theologo *conscriptum, atque à deputatis ad id Patribus ejusdem Societatis lectum & approbatum: Quem tamen librum nemini alteri recudere aut in Romani Imperii vel hereditarias Cæsareæ Majestatis Provincias importare, aut venum exponere licebit,*

licebit, sine expressâ Reverendi Patris Provincialis Societatis IESV Rheni inferioris datâ ad id facultate, in cujus rei fidem has literas manu propriâ subscriptas & officii sigillo munitas dedi Coloniæ die decimâ Februar. Anno 1733.

PETRUS NOMMERINGS
Soc. JESU.

COM-

COMPENDIUM
Poëticæ fictionis.

EA fuit anno Millesimo Septingentesimo Decimo Septimo Albis in Germaniâ fluvii ripas aggerésque egressi horribilis eluvies: ut vix ejus tempestatis meminisse liceat; quin gravis horror memorem animum concutiat; & obductum utcunque vulnus gravi cum sensu refricet. Cùm enim effrænis aquarum barbaries erectos magnis sumptibus ad Albim aggeres penitus everterit, disjecerit, velut minutum pulverem, ne relictâ veteris molis umbrâ in auras dispersferit, cûm excussis discerptísque repagulis, quà data via, immanis pontus in agros, in rura, in prata, in pascua, in pagos, in urbes horrendo cum impetu irruerit, obviam hybernam segetem grandi spatio enecaverit; oppida, civitates salsis

fluctibus impleverit; caulas ædésque innumeras solo æquaverit: greges & armenta sine fine procellis involverit, & in imam abyssum demerserit: infantes è cunis, è matrum ulnis vis irrumpentis freti eripuerit, homines circiter mille adverso mari diu obluctatos, aquarum demum violentia barbarè mactaverit: profectò tristior est tragœdia, quàm ut animo neutiquam saucio spectari possit.

Indulgebis igitur amice lector, ut cladem scenâ paulo mitiore proponam, & poëticis fictionibus modico lepore conditis theatrum vestiam.

Igitur summus Jupiter (sic comminisci fas sit) gnaviter lustraverat cœlestia, stellarum scilicet ordines, planetarum classes, zodiaci gloriam, alternum solis & lunæ imperium, auræ jam serenæ jam nubilæ vicissitudinem, & quæ ejus generis sunt plura. Cum verò omnia è Jovis imperio rectè moveri deprehendisset, lætus suis astris breviter applaudit.

Cupidus verò discutiendi mundum, dissimulatâ suâ personâ, comitante Mercurio, in uno oculi ictu desilit in terram & casu constitit super ripas Albis, fluminis germanos inter celeberrimi, imenso spatio teutonicas

oras

oras percurrentis. Albim ergo & Albis accolas humanâ formâ tectus acer censor rigidè perscrutatur, nec aulas nec caulas, nec rostra, nec tentoria, nec tabernas, nec templa, nec fora transiens, quin censorio oculo percurreret universa.

sed cùm rara virtus, at frequens scelus, ídque impudens & effrons ad Albim occurreret: indignabundus celerrimè cum suo Mercurio cœlos repetit: atque ibi severior frontem caperat, caput morosum quassat, fremitu murmureo insonat, & demum irarum impatiens totus furit, impacto sceptro graviter solium percutit, grandíque tumultu trepidantes cœlos concutit.

Deæ omnes & æthereæ Nymphæ hoc insolito Jovis tumultu excitæ, pallent, sudant, trepidant, vix amplius sui compotes; accurrunt tamen ad Jovem humiliter & suaviter oraturæ, quid sinistri patri optimo evenerit unde ille adeò furibundus tumultuetur. Terror interim horrórque sic Dearum cerebrum everterat; ut ornamentorum festivæque pompæ pro solemni ad Jovem accessu propemodum necessariæ penitus oblivisscerentur.

Unde ád tonantem Monarcham accurrit

 una

una ſolutis impexíſque comis, altera ſine mitrâ calvo ut plurimùm capite, tertia abſque pallâ, quarta cum inverſo pallio, quinta dum turbata & celerrima accurrit, menſulam cum vaſculis theanis evertit, ſexta pedem unum crepidâ alterum calceo induta. Ad quod lepidum trepidantium Dearum drama modicè ſubridet Jupiter, frontem componit & temperat iras: quas tamen paulò poſt iterum colligit, & multùm furibundus inſonat, Deabus omnibus propè deliquio ſolutis.

Juno tamen conjugis & ſororis titulis confiſa, animum prima revocat, & metro ſapphico rhythmico ſuaviſſimè garrula, rogat, quid Jovi, quid cœlo evenerit adverſi; an fortè redierint Gigantes: an Cerberus, an Orcus, an alius bella minitetur: ſe monſtris omnibus intrepidè occurſuram: nec ceſſaturam antè, quàm ſuo periculo omnem tempeſtatem à Jove diſpulerit. Idem Pallas ſuis rhythmis, reliquæque Deæ omnes metro heroino ſpondent, licet ſanguis & vita Jovi optimo eſſet impendenda.

Quo amoris, & fidei argumento delinitus Jupiter, faciem ſeveram exuit, & totus blandus refert: nil ſibi, nil ſuo cœlo acci-

diſſe

disse adversi: se unà cum Mercurio lustrasse tractum Albis ingentis in teutonico solo fluvii: atqui ibi raram occurrisse virtutem, sed frequens & impudens scelus, scilicet crapulam rixosam & pugnacem, vulneribus sauciam, brutis homines assimilantem: graves in Jovem superósque blasphemias, homicidia, lasciviam, meretricum infanticidia, furta, injustitiam, aliáque, quibus adeo fuerit indignatus, ut furioso pene tumultu cœlos concusserit: imò iram iterum ipsâ scelerum enarratione accendi: vix sibi temperare: quin flammis & fulmine tractum Albis exurat.

Ubi audacior Juno involat in dextram Jovis, eámq; mulcet, blandis osculis honorat, ingestis in digitos annulis exornat, hoc unicum humillimè precata, ut hoc super motu, Dearum sensa prius audiat: postea intonet, ut libuerit. Indulget id Jupiter, eâ tamen lege, ut more fœmineo non sint nimis fusæ.

Affert ergo Juno, non solùm ad Albim, sed etiam alibi, imò ubique hæc scelera patrari: cur ergo solus Albis luat: sed severior Jupiter reponit: se nunc Albim lustrasse: quod si alium orbem aliquando lustraverit,

& etiam reum deprehenderit, sciturum se, quid sit faciendum: 2dô: per hoc Albim non fieri innocentem, quod etiam alibi regnent scelera: æthiopem per accessum novorum æthiopum non fieri candidum: nec fimetum per hoc olere a) pastillos, quod novam cloacam apponas: tertiò, si etiam alibi dominentur scelera, jam majore scelerum cumulo non prohiberi sed provocari fulmina: hortulanum non ponere rastrum, dum major lolii exsurgit cumulus, sed ferventius arripere: aquas non arceri sed postulari ampliores, dum copiosior flamma undique erumpit: metra mel ructasse quidem, non sapientiam. Sarcasmi impatiens Juno, morosa excedit.

Affert ergo Pallas lepidam & ebriam esse gentem rusticam à zytho seu cerevisiâ, id est aquâ hordeo & lupulo coctâ; uno alteróve asse emptibili, arbitrari se, non esse adeo coctæ aquæ irascendum.

Sed reponit Jupiter: hac aquâ nimium haustâ transformari homines in bruta: & dum exiguo scelus comparatur, tonandum acerbius, ne hoc ipso invalescat crimen, quod exiguo patretur.

Affert

a) Pastillus, boni odoris globulus.

Affert Latona, clementiam esse Regum gloriam: velit clementiam indulgere accolis Albis: reponit Jupiter etiam justitiam in rebelles esse Regum gloriam.
Redit acerbior & morosior Juno afferens, quid velit Jupiter ob lasciviam delere Albim: cùm sit ipse lasciviâ plenus: sed detergit Jupiter objectum crimen, asserens, lasciviam Albis esse verum crimen, cùm violet justam legem superioris scilicet Jovis: suam lasciviam, non criminis sed ingenitæ libertatis esse exercitium: cùm nullius superioris legem violet: utpote qui superiorem non habeat. Rogant ergo Nymphæ ut saltem clementer tractum Albis puniat, nec omnino deleat: quod Jupiter futurum spondet.

Per accersitum ergo Mercurium mandat Neptuno & Æolo; ut suos fluctus & ventos conjungant: aggeres Albi adstructos tam diu pulsent; donec multis in locis, non tamen omnibus planè diruant: tunc exundans pontus in agros irruat; & obviam segetem multis in arvis, non tamen omnibus enecet; ædes & casas frequentes, non tamen urbes & pagos integros evertat; pecora admodum multa fluctibus mergat; alia tamen procellas sinat evadere; homines circiter

mille in fluctibus suffocet: reliquos illæsos linquat, hanc fore pœnam clementiâ permixtam.

Mox Neptunus per Tritonum cornua evocat ex imo maris sinu horribiles fluctus, quos præeuntes & præcinentes Tritones in Albis gremiũ deducunt: quibus dum se Æolus cum ordinato ventorũ exercitu adjunxit, unanimi Marte tunduntur aggeres ad Albim erecti, qui tamen primum fluctuum & ventorum impetum intrepidi retundunt, frangúntq; ad alterum impetum gemunt, suspirant, multùm saucii: ad tertium impetum omnino cedunt vix sui specie in Hadelensi, Ritzebüttelensi, Neuhusano, Kedingensi fundo relictâ. Inde aqua infusa agris, segetem, pecora, homines enecat: uti Jupiter jusserat.

Demum Tritonibus mansuetiores conchas inflantibus, redeunt aquæ ad veterem maris sinum: venti ad sua claustra: multis tamen ex omni genere navigiis in regno Cereris, cum ejus gravi horrore, relictis. Jupiter cernens dictatam pœnam executioni datam, breviter & nervosè tractum Albis monet, & cœlos claudit.

CAPUT

CAPUT primum.

Jupiter postquam cœlestia lustrâsset, assumpto Mercurio, & dissimulatâ suâ personâ descendit ad lustranda terrestria: occurritq; primò tractus Albis celeberrimi in Germania fluvii: quem cùm inspexisset: & suarum legum veræque virtutis grave vilipendium deprehendisset: indignabundus redit ad suum cœlum in quo totus furit.

Pars prima.

Jupiter cœlestia discutit.

JUpiter, omnipotens cœlíque solíque Monarcha
Nuper substratâ solii de Jaspide surgens
Constitit ante thronos, clarum super arduus aurum,
Attolléns que caput, circumrotat æmula Phœbo
Lumina, & immensum gravis explorator Olympum
Discutit, evolvit, multóque examinat æstu.
Acer obit latus omne poli, solérsque pererrat
Cunctas axe plagas, gnaváque indagine punctum
Rimatur quodvis, oculísque ardentibus instat.
Flammivomos Titanis equos, *a*) Pyroënta, Phlegonta,
Æthonta, Eoum, Phœbíque ex igne quadrigas,

 Lunæ

a) Pyroïs, Phlegon, Æthon, Eous sunt solis equi.

Lunæ pullatos ante esseda furva caballos,
Compita candenti lactis perfusa cremore,
Frigentes ursæ fauces, pigra plaustra b) Bootæ;
Fumans syrma canis, ructantem busta leonem,
Stelligeros puris vestitos ignibus hœdos,
Ardentes cygni plumas, miracula miri
Stellea zodiaci, & superum quæcúnq; per orbem
Plura alia ignitis flagrant portenta figuris
Fervidus exquirit, rhadamanthcáque bilance
Ponderat: error eâ num quis reperibilis orâ.

Pars secunda.

Nil tamen vitii in cœlestibus deprehendit.

SEd nil sidereâ vitii deprênderat arce
c) Argus is æthereus: nec nudam excusserat umbram
Erroris, toto scrutandi Jupiter æstu.
Nam nimium tardo non repsit in æthere passu
Rheda gubernanti quam Titan flectit habenâ:
Quam neq; præcipiti tremebunda per astra volatu
Spumeus obstipis rapuit cervicibus d) Æthon.
Lunáque cum Phœbo regnum partitâ polare,
Ignes, & fasces, & jus, & fræna, larésque
Pacificè alternans, minimæ neque jurgia litis
Movit, nec modicum diviso murmur in orbe:
Sed vetus in plena mutârat pace theatrum,
Jam tradens fratri, jam frater regna sorori.
Sæpe serenata ridebat imagine cælum,

Mœstá-

b) Bootes, auriga stellaris. c) Argus, nomen proprium centoculi. d) Æthon, solis equus.

Mœstáque subjectæ relevabat pectora gentis,
Dans exoptatam in saliaria gaudia lucem:
Sæpe etiam pluvio super arva arentia fletu
Incubat, intorto frangítque tripudia nimbo:
Ut risum, & lachrymas Rex Jupiter ipse jubebat:
Cujus adorato fiebant omnia nutu.
Quíque vehit glaciémq;, gelúq;, nivésq; e) Bootes
Tardus adhuc pigro sua plaustra rigentia motu
Propulerat, geticis incumbens plurimus oris:
Vertit ubi liquidas in saxa gelata procellas.
Contra qui plenos ructat leo stelleus ignes
Pro veteri ingenio, pro more, iráque vetustâ
Continuarat adhuc vomuisse incendia pansis
Faucibus, atque Indi succendere jugera mundi,
Zonáque zodiaci cœli complexa theatrum
Perrexit soliti miracula grandia vultûs
Pandere, & egregio cunctos suspendere fastu.
Sic tamen, imperium Jovis ut reverenter adoret,
Quicquid stelligerâ vivit flagrátque sub aula.
A Iove si tellus, non à Iove dissidet axis.

Pars tertia.

Laudat ergo Iupiter cœlestia, monétque ut sic constanter pergant.

Ergo ubi divino cœlestis machina Règi
Sic deprensa fuit, labes ut nulla nec ullum
Stellarum vitium f) Minoi occurreret illi:
Totus in astrigeri centena encomia mundi

Effu-

e) Bootes, auriga stellaris. f) Minos, nomen judicis.

Effusus; celebri stellarum g) pegma poësi
Et panegyrico facundus flore coronat.
Mox ultra exclamat: nihil hoc erroris in orbe
Vel centum arreptis possim explorare specillis:
Omnis præscripto gyratur in ordine moles:
Lex nutúsque meus cunctæ est sacra regula pompæ:
sic rectè: sic semper ages domus aurea cœlì:
Et nostros nutus omni venerabere motu.
Dudum novisti, mihi plurima fulmina flagrant
Et tonitru mugit, quo turmas frango rebelles
Victor, & obstipum cogo submittere collum.
Jussa Iovis celso quin sint sanctissima cælo!

Pars quarta.

A cælestibus transit Iupiter ad terrestria, & citiùs ictu oculi delabitur cum Mercurio in terram humanâ formâ gloriam divinam obtegens: & casu constitit in littore Albis amplissimi in Germania fluvii.

DIxit: at inde novo præcordia plenus ab æstu
Mercurium venisse jubet (stat proximus ille
Semper ut ad primum volitet per nubila nutum)
Mercuri, in oppositas mens est descendere terras
Inquit, ut exacto mortalem examine mundum
h) Lynceus excutiam: certè vidisse juvabit,
Aurea terrestri num scenam pegmate virtus

Aut

g) Pegma idem quod theatrum. i) Lynceus pro perspicacissimo à lynx.

Aut ſcelus infernis ludat damnabile larvis:
Totus an humanæ ſudórque labórque palæſtræ
E Jovis imperio calcat: num Jupiter unus
Sit motûs, ſit ſancta omnis cynoſura quietis.
Exploraturi ſed tu comes eſto caloris
Mercuri: & ad noſtrum fidus latus ibis Achates.
Aſt juvat ætheream modicè te ponere pompam:
Exuere auguſtum Numen: velamine frontem
Humano texiſſe tuam: ſic fallere falſo
Non advertentem melius ſub ſcemate mundum
Liberiúſque queas. Quin ipſe ego pono ſeverum
Fronte Jovem: pono majeſtatémque jubárque,
Pono congenitos Jove de radiante triumphos,
Divinóſque ignes mentitis occulo larvis:
Atque hominem aſſumptà ſimulo Deus ipſe figurâ:
Sæpéque ſcema novum cuncto ſpoliabo colore:
Atque inviſibiles oculis adſtabimus Argi.
Hoc aſtu ſanè, fictáque in imagine clauſi
Atrum concubiâ facinus ſub nocte ſepultum,
Abſtruſúmque ſcelus, tacitóque foramine fraudes
Aptiùs excutimus: nec apex in crimine fallet.
Dixerat: atque oculi multo pernicior ictu
Inſilit in noſtrum divinus Jupiter orbem,
Mercuriúſque Dei ſocius: caſúſque ferebat;
Ut ſuper ingentes germano in climate ripas
Albis conſtiterint. Vaſtis per rura procellis
Spumoſíſque iris ingens devolvitur Albis:
Et pene immenſo plena explicat æquora tractu.
Materies ergo prima eſt examinis Albis
Quique bibunt illum pagíque urbéſque propinquum.

Aſt

Aſt ego quàm metuo! tibi dum cenſorius inſtat,
Jupiter atque acri verſans indagine fluctus
Incubat, & totas rimatur hic *i*) Æacus undas.
Incaſſum piceis ſepelis mala facta tenebris,
Aut mendace ſcelus ſudas pinxiſſe colore;
Vel patrâſſe negas, Ditémque & tartara juras.
Omnipotente dolos hic *k*) Minos eruit arte
Nec minimum eſt punctum quod poſſet fallere Numē
Aut rhadamantheam queat eluſiſſe bilancem.

Pars quinta.

Jupiter ergo ad Albim minima quæque perſcrutatur.

ERgo Germanum judex hic cœlicus Albim
Potantésque Albim populos cenſore pererrat
Lumine, & intentis diſquirens ſingula curis,
Omnia ſat rigidis expendit facta ſtateris.
Diſcutit hic vetulam cum torto *l*) Dipſada fuſo:
m) Baucidos inſpectat mulctras, reducéſq; capellas!
n) Phorbantis ſtivas, tritáſque *o*) palæmonis occas.
Per *p*) Codri ſiliquas, *q*) Iri per inane ſalinum,
Pérque ſaginati bellaria pinguia *r* Crœſi
Currit, & horribili diſtinguit ſingula viſu.
Inviſit nigrum quo mulio murmurat antrum:
Quóque ſpecu Damon jacet excubitrice *s*) Lyciſcâ.
Ulnas, & libras menſurantéſque medimnos,

Expo-

i) Æacus nomen judicis. *k*) Minos nomen judicis. *l*) Dipſas & *m*) Baucis nomina ruſticarum. *n*) Phorbas & *o*) Palæmon ruſtici. *q*) Irus & *p*) Codrus pauperes. *r*) Crœſus nomen divitis. *s*) Lyciſca nomen canis.

Expositas merces, responsuramque monetam,
Lustrat in excussis oculo flammante tabernis.
Artificúmque lares, bibulas ubicunque popinas
Cauponum cellas t) propolarúmque latebras
Ancillæ loculos, lustra abstrusissima servi
Intrat, & exquirit, punctum quodcunque recludit.
Pulpita doctorum, subsellia clara senatûs,
Urnas u) Minoum, Musarum castra, Lycæa
Pallados, & Sophicæ collegia docta juventæ,
Rostra oratorum, palatia celsa toparchæ,
Et procerum sedes, rigidi tentoria Martis
Explorator obit, visúque per omnia crebro
Currit, & infixis aliquando obtutibus hæret.
Omnis apex cupido debet constare tenanti.

Pars sexta.

Paulatim tamen torvus & morosus tractum Albis inspectat Iupiter.

AST hic paulatim mentis periere serenæ
Symbola, & ingenii stellas cœlósq; probantis;
Omina vanescunt: veteris bona gratia vultûs
Disparet: subiítque rigor: frontémque severum
Scema tenet: gravitas sat torva, feróxque per ora
Emicat, & terret, tempestatémque propinquam
Nuntiat, & tumidis latitare tonitrua rugis:
Sic pater omnipotens nunc est morosus & asper.
Et trux, & totus rigidus, penitúsque priorem

Exutus

t) Propola latinè sumptum est primâ longâ. u) Minoum id est judicum à Minos.

Exutus de fronte Jovem, qui cœlica læta
Atria lustrârat, carisque applauserat astris.
Quod si venisset tunc dilectissima Juno,
Et mera nectarei recitâsset carmina mellis
Divino blandita metro, bene puncta redisset
Conjuge de torvo: & tetricum rigidúmq; maritum
Questa superfuso stillâsset ab ubere fletu.
Inde caput ter triste quatit: ter Jupiter intrà
Bombilat atroces fauces, multúmque susurrat:
Ast iras absorbet adhuc, & murmure solo
Commonstrat querulos indignantésque dolores.

Pars septima.

Indignabundus repetit suos cœlos, & ibi post murmura vehementer irascitur.

MErcuri ad æthereum cœli revolare theatrum
Tempus, ait: spurcis hìc torqueor undique monstris.
Dixerat: & subito penetrans per nubila raptu,
Stelligero stetit orbe Deus: *x*) Cyllenia proles
Antevolat dominum pandens sacra ostia cœli.
Ast ibi disruptis fera bilis & ira *y*) lupatis
Acrior exundat: calido flagrantior ardet
Pectore; & accendit totum ignescente *z*) phrenesi
Æthereum patrem. Frontem furor igneus ambit;
Flamma genis irata micat: furibundáque vultu
Stat toto rabies: atque indignatio grandis

Omnes

x) Cyllenia proles est Mercurius. *y*) Lupatum & lupatus est frænum. *z*) Phrenesis est gravis ira.

Omnes concuſſit fibras. Tum ſpumeus ore,
Dentibus infrendens, rigidóq; *a)* aſarota cothurno
Tundens, irato furibundum hoc gutture carmen
Eructat reſono quatiens ſacra templa tumultu:
Ergo diffuſas ſic vivitur Albis ad oras!
Sic, ut nulla locis ſit in his reverentia noſtri!
Noſtráq; majeſtas iſtis ignobilis agris
Vileſcat, jaceat, videatur ludicra genti!
Quam ſannis rodat, crudi quam more *b)* Theonis
Mordeat, & multo figat ſarcaſtica dente!
Sic, ut non timeamur ibi! nec fulminis ira
Concutiat populum, tonitru licèt illa feroci
Mugiat, & vaſto tonet inter nubila bombo.
Sic, ut ibi populus ſacrata repagula legum
Infringat, ſanctùmq; jugum cervice repellit.
Quóque libido vocat, lacerato turba capiſtro
Advolet, & feſtos poſt juſſa exploſa triumphos
Fabricet, ut facinus riſu plauſúque coronet!
Non aliter, quàm ſi tolerata lupata caballus
Effrons contemnat, celeríq; per aëra curſu
Avius, imperio ſe ſuffuretur herili:
Et tunc ingenti per campos hinniat œſtro,
Explodens veteris frænos & lora *c)* Metiſci.
Sic, ut ibi virtus, hæc optima gloria mundi
Exulet, atque ipſi vix ſit reperibilis *d)* Argo!
Cujus & illatum nomen props tormina ventris
Cauſet, & incuſsâ cerebrum vertigine gyret:
Sic ut ibi variis ſcelus impietáſq; ſub antris

B Reguet

a) Aſarotum, pavimentum elegans. *b)* Theon, homo ſarcaſticus. *c)* Metiſcus, auriga Turni. *d)* Argus, nomen centoculi.

Regnet adorata, & leges & fœdera condat
Multiplici Regina ſpecu, furiiſque trecentis
Cincta latus, certo quærat fregiſſe Gradivo
Virtutem, & crudo hanc Nympham mactare duello!

Pars octava.

Demum Jupiter totus furit & tumultuatur.

SIc furibundus ait. Mox ter frendentia circùm
Frontem ſceptra rotat, tremulum ter verberat ictu
Irato ſolium: ter trux bacchatur in axe,
Ut leo getulus, quem fors catapulta molari
Verberat incuſſo, frendet, furit, æſtuat, ardet,
Rugitu ſylvas quatiens, & rura tumultu.
Hæc paterer! clamat, noſter cur fulmina *e*) Brontes
Cudit? cur ſteropes, cur tela triſulca pyracmon
Fabricat? & tantis cur ſudant arma caminis?
Excute nunc iras, & juſtum Jupiter œſtrum.
Vult Albis fulmen, vult ipſe tonitrua vulgus
Impius, & noſtram rapit in ſua funera dextram.
Hos ego ſtelligeros juro Rex Jupiter arcus:
Pœnas Albi dabis: diſces quòd fulmina certa
Sint mihi mille domi: quod dum patientia noſtra
Facta furor; grandi poſſim tonuiſſe procellâ.
Ut dixit, totus frendet. Ter verbere rurſus
Percutit irato ſolium: ferit igneus aurum
Chriſo-

e) Brontes, Steropes, Pyræmon, nomina fabrorum Vulcani.

Chrisolitósque throni, gemmásque avulserat ictus:
Totus & à pulsu tremuit, nutavit Olympus.
Irascente Deo quis non titubétque, tremátque!

CAPUT secundum.

Quo Jovis tumultu vehementer terrentur omnes æthereæ Deæ, quæ Pallidæ & tremulæ, suî suorúmque ornamentorum oblitæ, accurrunt ad Jovem, sciscitantes quid Jovi optimo evenerit, unde ille sic furibundus infremat: suámque opem, bene garrulæ & suaviter eloquentes offerunt.

Pars prima.

Deæ omnes æthereæ, hoc tumultu vehementer territæ, accurrunt ad Jovem.

AST illo quassæ tonitru Nymphæque Deæque
Pallebant omnes; stat vultu mortis imago,
Effigies specti, larvæque emblema senilis.
Contremuit quævis: inopinus concutit horror
Divinos artus, ut toto corpore nutent;
Huc illuc titubent, ac in latus omne vacillent.
Qualis ab impactis impar Aquilonibus ulmus
Huc illúcque labat, motu curvante, pavorem

Fassa suum: tales multâ vertigine Nymphæ
Nutant, & trepidant omnes: tremulóq; loquuntur
Pectore quàm mordax animum discerpserit horror.
Toto udabat pavidissima corpore Juno,
Jam strophium impleràt currenti rore secundum,
Tergens sudorem madidâ de fronte ruentem.
f) Hebe tota tremit, dextráq; pavente *g*) diota
Nectaris elapsa est *h*) asarotáque cœlica succus
Perfluit ambrosius. Vix se divina Minerva
Collegisse potest: prope cuî tam turbidà fata
Excutiunt cerebrum, rapiúntque è sanguine vitam.
Ingemuit Latona diu: nec parte polorum
Quâ sit, quâ vivat, novit: formido stupórque
Eripuêre animum: mentem velut ecstasis aufert,
Atque aliò transfert. Quin classis tota Dearum
Est sibi vix præsens: ductúque trahebat anhelo
Æthereas auras, cœli properare ruinas
Penè rata: & rursum chaos adventare vetustum.
Exiliunt ergo laribus, sedésque paventes
Sidereæ linquunt Nymphæ: properóque volatu
Ad Jovis accurrere thronos, tantíque tumultûs
Caulas, & fontes tantorum orare malorum.

Pars

f) Hebe; Nympha offerens Jovi nectar. *g*) Diota poculum. *h*) Asarota; est pavimentum elegans.

Pars secunda.

Sed præ nimio terrore, sui & suorum ornamentorum obliviscuntur. Vnde una advolat impexis crinibus, altera sine mitrâ, tertia sinè pallio, quarta cum inversâ pallâ, quinta in excurrendo, mensam cum vasculis herba theana everterat: sexta dum nimium turbata properat, pedem unum calceolo alterum crepidâ induerat.

SEd dum tam grandis præcordia frigida terror
Frangit; consequitur multarum oblivio rerum
Horrores illos: veluti si pocula *i*) Lethes
Perculsis quidam Nymphis sorbenda dedisset.
Nam dum cœlestem properant adiisse Monarcham,
Et meliore caput decuisset comere pompâ,
Atque illo fastu, clarissima gloria cujus
Apta foret tetrici Jovis accendisse favores,
En tibi, divino radiantia pallia luxu,
Aureáque innumeris dotata *k*) calyptra pyropis,
Gemmarúmque ordo solitus distinguere cirros,
Et collum, & pallas, & deflua syrmata tergi,
Exciderant animo: non est memor ulla juvare
Frontis nativos hoc vestis honore lepores:
Sed quo quæque stetit, jacuit, vel scemate sedit,
Illâ etiam Numen volat accessisse figurâ.

 Hinc

i) Lethe, fluvius faciens oblivionem. *k*) Calyptra, muliebre capitis tegumentum.

Hinc ſenſus turbata ſuos venit una ſolutis
Impexíſq; comis: oblita eſt altera mitram
Et ſtat calva caput; laribus ſua pallia liquit
Tertia, & injectas vix nexuit illa *l*) crocotas.
Hæc gerit inverſam tremebundo tergore pallam:
Illa cito properans de ſtrato & limine curſu
Sternit humi menſam, vaſa infringítq; theana;
Et fuſis teſtis toto reſonabat Olympo.
Una venit crepidâ plantam munita ſiniſtram
Calceolo dextram, in triſti ſat ludicra ſcena.
Dúmque tuum nomen ſileo ſuaviſſima Nympha,
Narranti quæſo non iraſcare poëtæ:
Quin modicum vati placeat permittere riſum,
Muſa melancholico ne ſit mea morbida verſu.
Ergo ſic oblita ſuî turba illa Dearum
Advolat inviſiſſe Jovem, cauſáſque rogare
Turbarum, vel quæ tandem concuſſerit ipſum
Fortè procella Deum, vel quis cœli atria fluctus.

Pars tertia.

Ad lepidam hanc Dearum ſcenam modicè ſub-ridet Jupiter, mox tamen iterum iras colligit.

UTque in turbatis Nymphis hoc *m*) drama facetum
Jupiter aſpectat, modicè riſiſſe coactus
Grande ſupercilium poſuit: compeſcuit iras

Lenior

l) Crocota, veſtis longa muliebris. *m*) Drama, eſt comœdia.

Lenior: immutat comœdia ludicra Numen.
Post tamen haud multò rursus gravitate severa
Terribilem sese Nymphis præsentibus offert:
Antiquásq; iterum vocat in præcordia flammas:
Evibrat infestos oculis ardentibus ignes,
Et tota ingentes, portendit fronte procellas.
Stat torvus, totúsque ferox, truculentus, & acer,
Ore minax, furias & cruda tonitrua ructat:
Atque suis certæ cladi præludit in iris.
Sic trux, sic habitu, gestúque severus in omni
Adstitit, horribili solet ut consistere vultu,
Dum manibus fulmen torquet: dum flammea tela
Crudus agit, grandíque tonat per inane boatu.

Pars quarta.

Prima tamen Juno aggreditur alloqui iratum Iovem, & rhythmis sapphicis suavissimè garrula interrogat, quid rerum Iovi vel cælo acciderit, unde ille sic fuerit tumultuatus.

PRima tamen mentem revocat perterrita Juno
Aggreditúrq; loqui, spargens sua nectare metra,
Mellitásque canens mellitis vocibus odas:
Sic ait: conjux meus, atque frater
In malis cunctis pius archiater,
Vita Nympharum, decus optimorum
grande Deorum
Jupiter: quæ te mala plaga tangit?
Quæso, quis turbo furialis angit?

 Quo

Quod tibi monstrum nova bella cudit
toxica fudit?
Cardines quòd sic resonent polares:
Tu velut cœlo rigidus tonares:
Tu velut velles superos citato
perdere fato.
Quæso quid rerum est? tibi quod furentem
Compleat bilis rabiésque mentem?
Quod meri vultu sedeant furores,
corde dolores.
Quæso quis mordet glomeratus hostis?
Omnis in cœlo strepit unde postis?
Clara divorum quatit unde multus
tecta tumultus?
Quæso quis tandem minitatur *n* hydrus?
Quis suum virus spuit hic *n*) chelydrus?
Quæso quam cladem fabricat severa
fortè Megæra?
Frater & conjux bene vive lætus:
Sis tuis Nymphis facilis, facetus:
Exhibe lætam faciem Deabus
& famulabus,
Oro, quod turbat, pater alme pande:
Fata depromas tua Rex amando:
Pro suo Juno Jove dimicabit
martia stabit.

Pars

n) Hydrus, Chelydrus, idem quod draco.

Pars quinta.

Offert Juno suam opem, si fortè gigantes alii-ve hostes rediissent: tantùm dicat, quid evenerit, unde ille sic furat.

SI rebellantes veniant gigantes,
Ense vel quercu solidâ minantes,
Vel suam rursus jaculentur *o*) Offam
valle refossam:
Belluis istis pater obviare,
Prompta sum Juno: Tibi militare
Ardeo: nostrâ volo téque care
clade beare.
Vastus ad pugnas veniat *p*) Typhœus,
Adsit in bellum *q*) Briareûs phlegreus,
Adsit Ægæon, comitetur *r*) Otus
sanguine potus:
Advolet nigris specubus *s*) Damastor:
Plurimos fratres vocet hic *t*) Alastor:
Excitet *s*) Rhœcum, trahat æstuantem
igne *s*) Mimantem:
Tota styx orci ruat in palæstram,
Gloriam tentans, rapuisse vestram.
Rideo *u*) Phlegræ streperas phalanges,
Ditis & angues:

o) Offa offæ, nomen montis. *p*) Typhœus *q*) Briareus. *r*) Otus, nomina Gigantum. *s*) Damastor, Rhæcus Mimas, nomina gigantum. *t*) Alastor, malus genius crucians, *u*) Phlegra vallis gigantum.

Juno bellacem rapio machæram:
Méque germanam tibi monſtro veram:
Pugno cum brutis, neque læſa cedo
me neque dedo.

Pars ſexta.

Pariter Pallas ſuavi rhythmo ſapphico garrula, rogat tumultûs & irarum cauſas.

VIx Dea finierat: ſequitur mox garrula Pallas
Æmula Junoni, nec ad unguem cedere certa:
Sacchaream vocem, ſtillantes nectare fauces
Blanda aperit: fluviúſque velut, mox ſapphicus æſtus
Currit, & attonitum facili dulcedine cœlum
Mellea ſuſpendit; ſic pectoris excutit œſtrum.
Horrui, agnoſco, tremuíque tota:
Sudor effluxit mihi fronte lota:
Pene labebar vehementiore
fracta pavore:
Dum repentinus ſonat hic tumultus:
Dum tuos tantùm tenet ira vultus:
Dum Jovem noſtrum video furentem
cerno dolentem:
Nec queo cauſas penetrare motûs:
Fons feræ bilis latitátque totus:
Nec ſcaturigo patet ulla miræ
hactenus iræ.
Quæſo quis cyclops venit inter aſtra?
Noſtra quis tentat violare caſtra?

Quis tuo x) Cacus, latro quisve nostro
invidet ostro?
Quæso quis turbo ferit, aut procella?
Quod parat brutum fabricare bella?
Hydra quæ pandens foriosa rictum
surgit ad ictum?

Pars septima.

Etiam Pallas addicit suam opem, siquid bellorum contra Iovem fuerit motum, raptúmque gladium in testimonium serii & martialis animi ad Iovis solium deponit.

DIxit & audaci succensa calore medullas,
Martia fœmineas offert in prælia vires.
Bella irásq; coquit: facta est ex rhetore miles:
Pro Jove Achylleo vult decertare labore,
Asperior Turno, violentior Hectore, & ipso
Ænea major: quam Penthesilea stupente
Aspectet vultu: veterísque ætatis Amazon
Debeat attonito celebrare in y) Phocide metro.
Fas sit masculeæ metra jucundissima Musæ
Pandere: & herculeam propriis heroida verbis
in patulâ cunctis spectandam sistere scenâ.
Sic Martem plenis ructat mavortia buccis.
Nunquid infernis redit à cloacis
Turba spectrorum? lacerátque pacis
Fœde-

x) Cacus, nomen furis.

y) Phocis, Regio musis sacra.

Fœdera? & vultu mera bella ſpirat?
fulmina gyrat?
Ille qui furvi tenet antra Ditis
Cerberus cuſtos, lemuréſque tritis
Unguibus terret, trepidus cavernis
horror avernis,
Nunquid exſurgit? ſpuit atra buſta?
Saxa cum flammis jaculatur uſta?
Plurimam ſtragem crepat & ſupinam
ore ruinam?
Sat bene: exſurgant ſtygis iſta bruta:
Cuſpide ad bellum veniant acutâ:
Totus attentet lacerare cœlos
orcus anhelos.
Juro per ſacrum ſolium tonantis,
Pérque Cociti pelagus flagrantis,
Pérque Neptuni freta dirigentem
juro tridentem:
Surgo bellatrix, animíſque plena
Obvio brutis veluti leæna.
Dimico, pugno, gladióque fido
monſtra trucido.
Surgo bellatrix, & avita feſta
Linquo cœlorum. Generoſa geſta
Tota mens ardet. Procul eſte mella,
poſco duella.
Surgo bellatrix, valeat tiara,
Pompa tot gemmis radiiſque clara:
Iſte jam mundus muliebris abſit
armiger adſit.

Surgo

Surgo bellatrix, latus enſe cingo
Caſſidem impono, gruibúſque pingo:
Lanceam vibro: vetus æs mamillas
veſtiet illas.
Surgo bellatrix, rapio nitrati
Pulveris peſtem: gremium parati
Farcio ſclopi: ſtygis in cohortem
evibro mortem.
Surgo bellatrix, gravior Camillâ,
Fortior Turno, celebríque ſyllâ,
Acrior magno feriens Achille
agmina mille.
Surgo bellatrix, nova fulminaſtra
Hoſtium pergo populare caſtra:
Te Jovem noſtrâ tego Pallas arte,
munio Marte.
Si mihi laurum Phlegeton negabit:
Fortiùs ſi ſtyx nigra fulminabit,
Méque pugnacem malè ſauciabit
dilacerabit:
Sat benè: effuſum tibi ſacro rorem
Jupiter: verum probo ſic amorem,
Dum tibi vitam lito cum cruore
abſque pavore.
Vive Rex Regum; tibi prompta fio
Victima: auguſtum modulabor io
Morte ſi noſtrâ Jovis ira ceſſet
turbo quieſcet.
Sub tuis pono ſoliis mucronem,
Quo mei affectûs monumenta donem.

Æſtuo, ſudo tibi, dimicóque
vivo, cadóque.
In tuis cœlis ſuper eſt amazon,
Digna quam cunctâ canat arte ſcazon:
Quam nigri Ditis lemures paveſcant
aſtra ſtupeſcant;
Hoc precor ſolùm, mihi dic quid atri
Accidit cœlis; ſuperûmque patri?
Quis tuas aulas ſoliúmque tangit,
gaudia frangit?

CAPUT tertium.

Quâ ſuavi Dearum eloquentiâ delinitus Jupiter, poſitâ tantiſper irâ, manſuetus, tum per ſe tùm per Mercurium refert, nil ſibi, nil ſuo cœlo contigiſſe adverſi: luſtraſſe ſe in terris tractum Albis: ubi frequentia & publica ſcelera deprehenderit: rixoſam ſcilicet ebrietatem, graves inter ludendum blaſphemias, homicidia, fornicationes, infanticidia, furta, rapinas, injuſtitiam & ſimilia: cui impietati tam graviter fuerit indignatus.

Pars prima.

Jupiter gaudet ſuas Nymphas eſſe tam ſuavi-

ter

ter eloquentes, fatetúrque, hac facundâ suavitate esse se nunc delinitum & mansuefactum.

TUm pater æthereus mellitæ hæc nectara linguæ
Obstupuit: gaudétque simul, quod in æthere Nymphæ
Tam sint blandiloquæ, tam dulcis rhetores oris:
Tot condire favis sua carmina dulcia possint.
Vestra, ait, ambrosio stillans à rore poësis
Ver plenum fuerat, quod per sacra compita cœli
Lilia pæstano veluti correpta vireto,
Narcissos, calthas, violas & mille rosarum
Dispersit fasces, totúmque æstatis honorem.
O Nymphæ, exclamat, tot dulcis hyperbola gemmis
Splenduit: & phaleras tot vestra paraphrasis omni
Jactavit sensu: cœli ut suspenderit aurum.
Gratulor hoc nectar: suavissima flumina mellis
Gratulor, & tantâ fœtam dulcedine linguâm.
Certè credidero, vix suavior ipsa sonaret
Suada suis rostris, licet omnia congerat oris
Mella sui: cunctam nectendis floribus artem
Convocet: & plenis vendat miracula buccis.
Confiteor, nostros fregit dulcedo furores.

Pars secunda.

Quin se jam planè affabilem & blandum exhibet.

DIxerat, & vultus alios, alia induit ora:
Componit rabiem, choleræ dat fræna priori:

Subrig.

Subridens blandúsque stetit: totúmque serenum
Se Nymphis donat, recreátque hoc scemate Divas,
Se demum talem præbet, tranquillior auras
Qualis demulcet, tempestatésque repellit,
Et læta facie post nubila tristia ridet.
Quin se dat talem, qualis solet esse facetus,
Oscula dum figit Nymphis, inque ubera fusus
Amplexo pendet suavissima sarcina collo:
Millenósque jocos inter, ludentia suevit
Orgia, cum lætis sæpe insanire Deabus.

Pars tertia.

Agitque gratias pro oblata ope & promptitudine, etiam fuso sanguine Iovem contra quosvis hostes juvandi: spondétque cras in cælo celebranda hilaria, z) Hebe & Ganymede nectar optimum largè offerentibus.

POstea sic infit: dilectæ ex corde sorores,
Gaudia prima Jovis, de vestro surgite Nymphæ
Deliquio: mentem pulso revocate timore.
Confiteor, grandi fueram modò percitus œstro:
Ardebam totus: gravibus mea viscera flammis
Accensus stabam: nec eram nisi Jupiter ignis.
Nec longè abfuerat, quin tortos fulminis ictus
Nube excussissem, pecudes hominésque cremâssem,
Antiquóque chao sepelissem fervidus orbem.
Fulmineos sed vestra tenet facundia motus:

Eripuit

z) Hebe, & Ganymedes, Jovi à poculis sunt.

Eripuit manibus flammas: & fulmen & ictus
Suspendit: totúmque Jovem mutavit & æstum.
Et quando audivi Nymphas offerre cruorem:
Vulnera & attritam milleno funere vitam:
Ut jubar, ut solium: Jovis ut texisse salutem
Possent, & quemvis inimicum frangere fluctum:
Sum motus totus, liquefactum pectore cor est;
Ut solet admoto glacies se solvere Phœbo.
Quàm potero retulisse vicem? quæ præmia tantis
Esse queunt unquam sat respondentia factis?
Hoc dico, hoc juro nunquam longæva senectus
Quæque per æternos procurrit olympias annos
Hoc metrum, hoc vestri tam rarum pignus amoris,
Hæc tam magnanimi pulcherrima symbola Martis
Auferet ex animo memori: priùs horrida frigus
Ponet hyems: ponet veteres prius Ætna calores
Quàm sappho, quámque hæc heroica carmina nostro
Ex animo pereant, tumuléntque oblivia versum.
Et nunc juro mei limen venerabile fratris
Cras *a*) pocillatrix Hebe lectissima promet
Nectara, & ambrosii Ganymedes pocula vini,
Aureáque ingenti salient hæc templa triumpho.

Pars quarta.

Quo audito quasi reviviscunt Nymphæ.

ARrexere aures divæ: mox Juno subinfert.
O pater divûm, fateor revixi;

a) Pocillatrix, quæ potum offert.

Quæ velut telo penetrata frixi:
Rurſus in fibras calor intoivit:
vita redivit:

Gratias quando loqueris benignus,
Et tui affectûs ſtudiſque pignus
Exhibes, ſpondens generoſa totis
vina b) diotis.

Nunc precor cauſas aperi fragorum:
Hoc forum cur ſic fuerit ſonorum:
Ore cur tu ſic ſteteris flagrante
atque tonante.

Pars quinta.

Iupiter ergo placidus refert, ſe luſtrâſſe tractum Albis, ubi quidem hinc & inde clara virtus occurrerit, ſed rara; ùt plurimùm autem, quò pedem intulerit, ſcelus obviaverit, idque impudens & effrons, ut quod audito, omnia à ſummo Iove videri, nil per hoc ſit motum; ſed hiantibus buccis aſpectans perrexerit. Vnde Iovi bilis fuerit graviſſimè mota.

ERgo placatus, ſapphiro ingente recumbens
Et blandus facie ſic magnus Jupiter infit:
Affero jam cauſas Nymphæ, fontéſque furorum:
Juſtitiam belli ad veſtras expendite lances.
Albis luſtravi tractum, confinia tanti

Flumi-

b) Diota, poculum.

Fluminis excussi, campósque hominésq; larésq;
Istic scrutatus, censor per cuncta cucurri.
Occurrit, verum est, hinc inde ipsissima virtus,
Et probitas germana soror, non oblita fuco,
Non ementito faciem depicta decore;
Sed bene nativâ gradiens per compita pompâ.
Ut vidi, exilii: quin toto pectore plausi:
Amplexúsque Deas lætantia jubila nostri
Effudi cordis: dixi, par dulce sororum,
Jam sinus exultat, dum vos has Albis ad oras
Cernere fata sinunt. Utinam tamen obvia nobis
Sola foret vestræ dulcissima gloria frontis,
Os vestrum solum, dum censor stagna pererro:
Nec simul impietas stygiis fœdissima larvis
Atratúmque scelus, par detestabile Lethes
Offerat ora Jovi, & scurrili numen ad Albim
Vulneret occursu, nostrásque accenderet iras,
Sic ego dicebam, & Nymphas post basia binas
Desero, propositæ reparans examina ripæ,
Ast ibi spes fracta est: crebrum mea vota fefellit
Crimen, & inferni veniens de fæce Charontis
Impietas numerosa nimis. Quocúnque reflecto
Lumina: seu pagus fuerat, seu caula, vel aula,
Semper turpe scelus, nothus hic incestus averni
Occurrit nobis, sese undique & undique nostros
Ingerit in vultus, divina obtrudit in ora.
Per fora, per plateas, per publica compita currit:
Secretósque lares, gremium, latebrásque domorum
Incestat scabie, phlegetonteâque mephiti.

Vix adventanti valvas mihi panderat c) Abra:
Stat ſcelus in foribus, ſtygiam ructátque cloacam.
Dum magìs ingredior, loculóſq; exquiro penatum,
En laris in gremio ſcelus execrabile ſtertit.
Imas in cellas penetro, vel ſcando ſub ipſa
Tecta domûs, omni ſcelus exitiale latebrâ
Exſilit, & ſpurco ſemper me ſcemate pulſat.
Dum ſacros perluſtro focos, ſcelus adſtat ad aras;
Atque ipſas pædore ſuo funeſtat acerras.
Dum lucos ſubeo, ſpeleáque neſcia ſolis:
Iſtic horribili ſcelus eſt ſpectabile larvâ.
Vix quoquam pergo ſceleris quin putris imago
Tendat in occurſum, portentoſámque figuram
Offerat, & fœdo decies nos vulneret ore.
Quódque magìs pungit; perfrictæ eſt beſtia frontis,
Eſt penitus ſcurrile ſcelus: cœlóſque Jovémque.
Temnit, & à noſtra nil majeſtate movetur.
Nam ter dicebam, (frontem tamen oráq; tectus)
Quid facitis pueri? videt iſtos Jupiter æſtus;
Lumina vel minimum penetrant cœleſtia punctum.
O homo: cur oculis hæc horrida crimina ſanctis
Vulnus erunt, & plaga ſui triſtiſſima cordis.
Hoc date quæſo Jovi, tanti ut reverentia Regis
Hoc ſcelus infringat, vetitos extinguat & ignes.
Incaſſum ſed canto Jovem: fruſtráq; videntem
Illis canto Deum: non hæc ad nomina pallet
Infernale ſcelus, nec fronte nec ore rubeſcit;
Adſtantem quamvis inſpectantémq; tonantem
Audiat, & toto cerni nigra crimina cœlo.

Aſpicit

c) Abra, famula.

Aſpicit hortantem, rictum diſtendit hiantem;
Intrepidum planè buccis bipatentibus hæret.
Perfricuit frontem ſcelus inſanabile totam:
Nec ſupereſt veri vel mica, vel umbra pudoris.
Ipſe Acherontei truculentus Cerberus antri,
Plura verecundi nuper documenta timoris
Exhibuit nobis: noſtrúmq; ad nomen in omni
Erubuit vultu, nullis de faucibus auſus
Hiſcere, vel modico mutire per antra ſuſurro.
Námq; ego præterito dum fratrem inviſo Decembri,
Fratrem, ſupremum nigrante ſub orbe monarcham:
Prævolat ecce Charon, triplici dicitq; Melampo:
Jupiter ipſe venit; tu ſcema aſſume modeſtum.
Vix canis audivit nomen laudabile noſtrum:
Intrat in ora rubor, quem miſcuit undiq; pallor:
Ingenuúſque pudor latrantes clauſit hiatus.
Ut ſimul à longè venientis ſenſit odorem
Ille Jovis ſummi, veneranti lumina geſtu
Dejiciebat humi: caudam intrà crura retractam
Collegit tremulus: magè mutus piſce lacuſtri
Submittit jugulum; me ter proſtratus adorat
Necdum præſentem: ſed quod ſtulteſcit ad Albim
Putre ſcelus, noſtræ dum majeſtatis amœnum
Audivit nomen: dum viſu ardente ſupremum
Inſpectare Jovem monitis melioribus hauſit:
Adſtitit obſtipo nihilum curvabile collo:
Infixis oculis, & viſu effronte laceſſit:
Pandit hians buccas, ſpumâ, ſputóq; madeſcit:
In Iovem & in cœlos tetrámq; olidámq; ſalivam
Excreat: & bruto nihil eſt obſcœnius iſto.

Ut vidi, infremui: gravis impetus impulit extra;
E terris subito rapior super astra volatu
Insisténsq; thronis, laxabam fræna phrenesi:
Effundo bilem, totósq; cructo furores
Ardeo, sudo, flagro, totus sum Jupiter ignis;
Ultrices furias, cuneorum & fulminis imbres
Intorsisse minor, totúmq; evertere flammis
Albis districtum; dictóq; in littore crebrum
Contrivisse scelus: stygiúmq; evellere monstrum.
Hoc nostro sonuere poli, tremuere tumultu:
Hic tempestatis fons est & origo polaris.
Non Briareus igitur, non monstra immania *d*) Ple-
græ,
Non phlegetonteus latrabat in astra molossus:
Ipsámet ira Jovis, crudísq; in pectore fluctus
Accendere illud super atria cœlica bellum.
Jam nôstis Nymphæ, quo fonte sit illa procella,
Quóq; ille horribilis natus sit semine turbo.
Utq; magis pateat, quàm justâ excanduit irâ,
Quámq; æqua indignans tentârit Jupiter arma;
Mercurius rhetor rostris his publica quædam
Crimina proponat, pingátq; in imagine visum
A nobis Albim, fluvii putridámq; figuram:
Et sint materies cantantis prima camœnæ
Ebria deliro portenta undantia Baccho.

Pars

d) Phlegra, vallis gigantum.

Pars ſexta.

Mercurius magìs in particulari enarraturus publica quædam, quæ ad Albim deprehenderint crimina, deſcribit fusè ebrios, in quos Jupiter cum gravi ſuâ offensâ inciderit, inter cætera ſeptem ruſticos & ſeptem vetulas certâſſe poculis.

ERgo Mercurius facili ſua metra Minervâ
Promens nativo ſtitit ebria monſtra colore
Sic ait,
Lurcones ſeptem, ſtivis ſuper arva relictis,
Et ſeptem vetulæ, ſuſpenſa ad mœnia rhombo,
Concurrêre ſimul grandi certare duello.
Pocula, crateres, vitra, e) cymbia, cantharus, obbæ,
Sunt bacchabundæ gravis armatura cohortis.
His armis in ventre ſitim, ceu pectoris hoſtem
Juratum, ſtraviſſe parant, & mergere f) zytho:
Ille ſitibundus ne poſthac ilia rodat
Hannibal, & morſo dominetur ventre tyrannus.
Ergo illi plenos zytho ſpumante g) culullos
Infundunt alvo, potato hoc flumine ventrem
Implent, ac hauſto diſtendunt h) ilia rivo:
Ut ſitis, hic latro, ſitis ille vatinius hoſtis,

e) Cymbium, eſt poculum in forma navis. f) Zythus, eſt cereviſia. g) Culullus eſt poculum. h) Ilia, ilium, ilibus viſcera.

Hoc demum cocto pereat torrente sepultus.
Sese ad lurcosos multo clamore labores
Impellunt avidi: ne quisquam hoc fortè sub æstu
Deficiat fugiens, obbà victrice relictâ.
Evohe potemus, clamant, tua strenuus arma
Stringe pugil. Certè fortes hæc area poscit,
Heroas, fluvios qui ferre, atq; æquora possint.
Hìc aqueis veniunt certanda duella palæstris:
Nam sitis, hic hostis, nos ad fluvialia bella
Provocat, in circo nobis mactandus aquoso.
Turpis ab incepto fuerit qui transfuga Marte,
Stygma ferat, nostris aquilis labarísq; fugandus.
Ergo scyphus pleno spumans ad labra liquore
Circuitu æterno currit, circósq; pererrat:
Desudántque omnes cocto vacuare fluento
i) Trullas, ampullas, phialas, paterásq;, cadósq;.
Pocula collidunt, fragor ille est tessera Martis,
Tessera concursûs, bacchabundíq; laboris.
Mox se quisque suas parat exhausisse lagenas:
Imponit lateri lævam: colla erigit: ora
Vasto diducit rictu: distendit hiatu
Immani ventrem: trahit una in k) amysthide totum
Obbâ exundanti latáq; capedine succum.
Nec gemit; Herculeum teneat, licèt amphora ventrem.
Crus super, exhaustas tunc fortis Milo l) culignas
Deponit: vacuæ ter pulsat opercula cupæ:
Ter streperos fremitus buccis crepitantibus addit;
Illáq;

i) Trulla, est poculum. Cadus, vas. k) Amystis, ductus in bibendo. l) Culigna, est poculum.

Illáq; jam rursus per classica postulat hostem:
Nempe novum zythum, quem tympana Dipsas ad ista
Afferat: atq; illi vincántq: voréntq; *m*) lanistæ.

Pars septima.

Vetulæ nil viris in potando cedunt.

ET, quod mireris, nil hoc in Marte senilis
Cedit anus: sed strenua & impigra certat agresti
Illa viro: nec ad Herculeum cratera pavescit,
Certa ad postremas hæc humida prælia guttas
Sustinuisse, & epistomium tunc vasis inanis,
Ut palmæ signum, meriti labarúmq; triumphi
Ter circùm vetulam bene ludicra ducere frontem.
Ipsémet attonitus stetit ad certamina Mopsus
Dum sic lurcosis heroica *n*) Baucis arenis
Constitit, ad nullos suspirans fessa labores,
Cymbia, *o*) chœnices, *p*) calparia, pocula, trullas
Martia devincens, madidis nihil hostibus illis
Territa, sed manibus sic mox complexa duabus,
Ut liquidam in vasis animam, vitámq; latentem
Expulerit, ventrisq; sui tumulârit abysso,
Post deglutitum sat festivalis Achillem.

m) Lanista, est gladiator. *n*) Baucis, nomen rusticæ.
o) Chœnix, mensura capax. *p*) Calpar, vas fictile.

Pars octava.

Animant se ad hoc bibulum certamen intermixtis cantilenis, iisque non satis mundis.

UTque minùs labor ille gravet, lassétve palæstra:
Imò magìs læti sint hæc certamina Martis:
Accendunt bibulas immixto carmine pugnas.
Musa canit, fidibúsq; strepit, lituísq;, tubísq;
Infremit, & streperis hæc bella bibacia rhythmis
Adjuvat, ut lætis pugil hic decertet in armis.
Musa tamen spurco semper prope perstrepit ore:
Illotóq; metro, quod putres Cypridos ignes,
Quod fescennini muliebria furta Menalcæ,
Oscula, quod Mopsi, Corydonis adultera strata,
Stupráq; Damonis vel Phyllidos ubera cantat,
Atque exultanti modulatur sæpe cachinno.
Sæpe lyras adhibet. stridentia *q)* Crembala miscet,
Pulsat & inflicto rudentia *r*) crusmata ferro,
Aut calamo ingrato grunnit, cornúve lacessit,
Aëra, & insanò resonat deliria pulsu:
Ast semper scabiosa strepit, scurrilia menti
Ingerit, & geminas Veneris de sordibus aures
Opplet, & obtundit. Sic Musa hoc Marte petulco
Sudores animat; sic symposiastica bella
Accendit, læto gens ut ruat ebria campo.

Pars

q) Crembalum, instrumentum ad dentes pulsandum.
r) Crusma, instrumentum quod pulsatur.

Pars nona.

Petulantibus choreis hic pergræcandi modus levatur.

BAcchica majori ludantur ut orgia plausu,
Utque merus fiat labor ebrius ille, triumphus;
Hectores illi udi gressu titubante choreas
Subsiliunt: calidúmq; chorum per fumea ducunt
Atria, & insulso fabricant glomeramina gyro.
Sæpe cachinnantes ad bruta tripudia caulæ
Plauserunt: palcísque latens sylvestribus echo
Duplicat effuso choribantica gaudia risu.
Dipsas anus, poto velut enthea s) Mænas Baccho
Se rotat in gyrum, centúmq; volumina torquens
Flectit perpetuos jam baccha volubilis orbes:
Crembala s) limphatus discurrit ad aspera Mopsus.
Saltat ad inflatos Melibœus rusticus utres,
Barbariémq; lyræ, raucósque ex ære tumultus
Subsultans sequitur Daphnis, Phorbásq; choragus.
Tityrus hic truncus, rigidâque agrestior orno,
Mille magistrales, ipsáq; ex arte polites
Forcipis ad strepitum vult ludere, cudere, flexus.
Nunc ergo antrorsum, nunc ille t) choreuta retrorsum
Currit, séque rotat, nunc huc sua crura volutat,
Nunc illuc agitat, se circumflexibus urget
Grandibus, & tanto quatit atria lurida pulsu;

Ut

s) Mænas, Lymphata, Bacchi ministra, t) Choreuta saltator.

Ut gemeret rurale ſolum: ſuſpiria caulæ
Nutantes traherent: tremat à ſubſultibus antrum.
Mox ſibi blanditus, plauſus & jubila cudit:
Ter braccas olidas, ter pingues verbere lumbos
Percutit, & feſtum fremit in penetralibus io.
Sic eſt ſaltandum, clamat, ſic tetrica luſu
Eſt frangenda dies: ſic bacchanalia ruri
Sunt hilari celebranda œſtro lœtóq; furore.
Jam ſaltatrices vetulum cum Phyllide Mopſum
Evocat in ſcenas, cum Baucide poſcit Alexin,
Cum Damone citat Daphnin, cum Dipſade Thyrſin
Præſentéſq; alios: ſtrophii dein extima bini
Et bini prendunt, orbem cogúntq; rotundum:
Séque in circuitu gyrant: ut circulus ille
Per nigra veloci volitet gurguſtia tractu.
Sub pedibus ſudat tellus, fumátq; caverna
Æterno pulſu. Vix orgia ſuſtinet antrum.
Ipſa *u*) Pales quando hæc ſaltantia vidit aratra
Riſit, & obſtupuit centena *x*) choragia ſtivæ.

Pars decima.

A ſaltu reditúr ad pocula.

INcaluere omnes: centena volumina ſaltûs
Accendêre novum membris fumantibus æſtum.
Flamma coquit fibras; urit ſitis arida fauces,
Fronte fluit ſudor, madidóq; in pulvere ſtagnat.
En avidis iterum poſcuntur pocula votis,

Pocu-

u) Pales, Dea paſtorum. *x*) Choragium, ſaltus.

Pocula cocta quibus rursum cerevisia fumet.
Dipsas, ait, sitio, mox clamat Tityrus: uror:
Ardeo balbutit Mopsus: flagro, lassa subinfert
Phyllis: & aggrunnit sum totus flamma, Palæmon:
Atq; hæc Neptunum mea flamma interna requirit;
Neptuno periisse queunt incendia solo:
Sed qui Neptunus cocti per flumina zythi
Innatet in pateris, magno cateréq; spumet
Ex quo jucundo descendat in ilia lapsu.
Ergo de quernâ venias Neptune lagenâ
Cocte bono *y*) lupulo, Cereris sat pinguis aristis,
Mascule, & injectâ dulcis Neptune polentâ.
Quódq; sitibundum flagrat per viscera bustum,
Tu Nereû lupulosè neca, tu pectore tolle.
Dixerat: & reparat renovato bella labore
Bacchiea, & in primam rursus descendit arenam.
Quísq; suas phialas, obbas, crateras, & *z*) orcas
Stringit utráq; manu, cœpti velut arma duelli,
Grandes magnanimus ductu crateras anhelo
Exhaurit, fundúmq; suæ monstrare *a*) diotæ
Gestit, ut invicti specimen palpabile Martis.
Móxq; novi zyathi cum cytho undante levantur:
Clusus & in ventrem coctus Neptunus abibat.
Tertia succurrit studiis potantibus obba:
b) Congius arreptis quartus sustollitur ansis:
Quinta & sexta duces sequitur plena olla priores;
Nec Mars ille bibax, nec habent hæc *c*) orgia finem.

Pars

y) Lupulus, herba quæ miscetur cerevisiæ dum coquitur. *z*) Orca, vas. *a*) Diota, poculum. *b*) Congius poculum ansatum. *c*) Orgia, bacchica tripudia.

Pars undecima.

Dum autem nimia pocula evacuantur, ratio turbatur, & lurcones in bruta degenerant.

SEd quando toties pleno cerevisia vase
Hauritur: cupidámque liquor lupulosus in alvum
Mergitur: & venter cereali exuberat undâ:
Ecce vapor calidus, multisq; immixta favillis
Fuligo exsurgit: nubes se fervida tollit,
Et velut ignescens nimbus petiisse cerebrum
Incipit, atque illam dominæ rationis in arcem
Vi penetrare suâ, capitolia vertere mentis,
Reginámq; domûs, rationem nempe, fugare,
Pellere sede suâ, ad stolidum ejecisse *d*) Chorœbum;
Mox, profligato veluti de mœnibus hoste,
Involat in vacuam titubans insania sedem:
Et cerebro Regina sedens, rationis in aulâ
Arreptat fasces & multùm barda gubernat.
e) Thyas, & insano Mænas Lymphata calore,
Iráq; spumescens, atq; inconsulta libido,
Vis, & gyrato discors audacia fuste,
Ore stupor balbus, mordace calumnia rictu,
Atque aliæ pestes, inferni Ditis alumnæ,
Stultitiæ assistunt, solidáq; ambage coronant:

Obser-

d) Chorœbus, nomen stulti. *e*) Thyas, Lymphata, Bacchi Ministra. Mænas, idem.

Obſervant nutus, & ad ebria juſſa miniſtrant:
Inſanæ furiæ faſces reverenter adorant.
Pauperies, ſerúſque dolor, nodoſa podagra;
Chiragra, triſtis hydrops infamia plurima, febris
Conſequitur plorans, agménq; ignobile claudit.
Atque ut Reginæ par fiat *f*) ganeo ſtultæ,
Ille etiam bruto debet ſtulteſcere more:
Depoſuiſſe hominem debet, ſolámque figuram
Círcumferre viri, vel circumferre puellæ:
Et ſub mendaci veſanum ſcemate brutum
Condere, & humano pecudem pinxiſſe colore.
Dixiſſes magicæ biberint *g*) carcheſia *h*) Circes,
Quæ ſic ingenium per faſcina mutet & herbis:
Hinc circumcurſant, nec quò properéntve, velíntve
Noverunt ultra. Stupidos amentia greſſus
Trudit; & ut pecudes per quævis ſtercora raptat:
Non aliter quàm ſi lutulentus in atria porcus
Irruat, *i*) & merdam volvente promoſcide vertat.

Pars duodecima.

More pecudum nequeunt ultrà articulatè loqui.

NON poſſunt ultrà brutali extrudere fauce
Quæ prodant hominem, faciántque vocabula ſenſum.
Murmur ineſt ori, fremitus, putridúſq; boatus.

In

f) Ganeo, comeſſator *g*) Carcheſium, poculum *h*) Circe, nomen veneficæ. *i*) Merda, lutum.

In plateis aprum certè gruunire putares,
Aut bardos mulos insulso rudere bombo.
Lingua gulæ temulenta tumet, nec sustinet ultrà
Coctæ pondus aquæ, riget aspera, nescia flecti;
Hæcque suos inter vocalis machina dentes
Crassa stupet, munùsq; vetus fecisse recusat.
Hinc modò taurino novit mugire boatu:
Et quatere absurdo confinia prata tumultu:
Najadas & Dryadas strepitu terrere propinquas.

Pars decima tertia.

Vetulæ aliquot cum aliis sui sexûs ambubajis in stercora collabuntur, cum stercore dimicantes, donec super luto indormiscant.

MOx ambubajæ veluti de fulmine tactæ
Sordibus in mediis subitò labuntur, & atrum
Oppugnant stercus, pedibúsque, & corpore toto
Cum sordescenti, fœdúmq; halante cloacâ
Luctantur. Turnum infestum se stringere credunt;
Aut adversantem contundere Amilcara pugnis
Censent: ejectam dum palmâ utrâq; saburram,
Latrinámq; petunt: dum stercus calcibus urgent
Dum mandunt putridam furioso dente mephitim.
Demum stercoreo pugnax anus Hectore victa
In placidos mutat certamina sordida somnos,
Taurinámq; super dormiscens bestia k) merdam

Eructat

k) Merda, sordes.

Eructat vastos lasso de pectore ronchos.
Sylváque terribili tremuit vicina tumultu.
Mox illis porco, bacchante ex agmine plures
Se jungunt vetulæ, circùm primámque ruebant
Collapsæ *l*) scrofam. Sentinam faucibus omnes
Mandunt, & geminis depsunt mera stercora palmis.
Quas sin aspiceres armatus mille specillis
Nil à cœnoso poteris discernere porco,
Esse prymanthei jurareres culminis apros.

Pars decima quarta.

Pars helluonum in rixas accensa pugnis decertat.

SEd plures alios lurcosæ gentis *m*) asotos
Hic coetus Nereus gravia in confligia traxit:
Arma manu raptâsse jubet: concurrere bello
Imperat: & crudâ pugilem insanire palæstrâ,
Nec nisì sanguineo rixas abolere Gradivo.
Ergo illi grandes ad vitra obbásq; *n*) lanistæ,
Hi *o*) mirmillones primùm se lumine torvo
Aspectant rigidi; frontis tum scema trecentis
Corrugant *p*) liris, Condúntq; his fulmina sulcis.
Pòst vultum rubra flamma subit: sedet ore genísque
Ignis, & ira ferox, grandis certaminis omen;
Quódque mero loquitur potandos sanguine circos.

D Spuma

l) Scrofa, sus fœmina. *m*) Asotus, est ebriosus. *n*) Lanista, est gladiator. *o*) Mirmillo, est gladiator contra retiarium. *p*) Lira, est idem quod sulcus.

Spuma fluens pendet circùm frendentia labra.
Horrida decurrit mento ringente saliva,
Pérque hirtam barbam, fuscam, rubrímq; lacernam
Signat iter: monstrátq; satìs quæ viscera *q*) Thyas
Occupet, atque imis Mænas deliret in extis.
Mox primus Mavors buccas & guttura solvit
At mera linquit adhuc inter convicia bellum:
Quæ concertanti jactantur utrimque procellâ.
Utque pluit multâ brumalis grandine nimbus
Scommatibus sic ira pluit: convicia grandi
Imbre ruunt, veteris lacerant encomia vitæ,
Collidúntque gravi primævam vulnere famam.
Tunc pugnæ exsurgunt. pugnis furor arma ministrat.
Scilicet exhaustas bibula sub nocte *r*) culignas,
Obbas, ampullas, vacuásque à rore lagenas.
Hoc nova correpto bellona ferocit in ense,
Hæc circùm caput arma rotant, his glandibus iras,
His odium furiale juvant, hoc ære tonare
Insistunt, magno meditantes vulnera nisu.
Ipsámet ad pugnas expallescebat arena.
Tityrus ergo suum pleno cratera furore
Librat, & hoc stannum Thyrsi intendebat in ora,
Frangendum certè ratus uno hoc fulmine fratrem.
Thyrsus at averso fallebat vertice jactum,
Eludítq; iram, & cassum facit esse tonitru,
Subducens frontem: fertur simul impete grandi
Symposiasta ferox, raptâque à mœnibus ollâ,
Frendet, & adversum saxo ferit occiput illo.

Olla

q) Thyas & Mænas, sunt lymphatæ Bacchi ministræ.
r) Culigna, est poculum.

Olla super glabrum pulsati verticis orbem
Dissilit: & centum circùm duo tempora testæ
Contritæ crepitant, validum *s*) athletámq; loquuntur.
Tityrus à Thyrso jam vulnus passus & ictum,
Marte iterum graviore furit: majore furore
Ardet, & inflictum vult certè extinguere probrum.
Atque ut sanguineum cernit decurrere rorem;
Vix se: vix avidos belli cladísque lacertos
Temporis exiguo potis est compescere puncto.
Ipse cruor fusúmq; suo de vertice tabum
Præcipites iras, & pugnæ vindicis œstrum
Accendunt, acuúntque: velut vetus humor olivi,
Sumen, & immissum reparant incendia sebum.
Ergo rapit vastam de pariete Tityrus obbam,
Totus inardescens hæc lignea fulmina torquet:
Illidit Thyrso; frangítq; in faucibus ipsis
Fortia sylvestri fabricata poteria quercu;
Et solam retinet manibus sudantibus ansam.
Mox volat in crines Thyrsi, digitósque capillis
Involvens, furiis sternit felicibus hostem:
Injicit in sordes; in cœno, & stercore volvit:
Ora luto farcit, pugno quoque perpete buccas
Pulsat, & innumero contundit verbere malas,
Aures, & mentum, frontémq;, & pectus & armos.
Calcibus illisis rabiéque ardente flagellat.
Sed neque in hoc bello Thyrsus succumbit inultus:
Quin hic multiplici pugno respondet, & instat.
Utque furor facilis pugnacia suggerit arma,
Ille suos ungues pro cultro stringet & ense,

 Atque

s) Athleta, gladiator.

Atque his cuſpidibus viviſq; mucronibus ambas
Armatus palmas victorem ſævit in hoſtem:
Cornibus his uncis malas, os, pectora, buccas
Tityri arat, tundit, rodit, diſcerpit, & occat.
Hinc ille horribilem detracta pelle moloſſum
Ore geniſque refert: ut ſpectrum informe culinam
Pervolat: & trepidas cogit fugiſſe puellas.
Dúmque cruor pergit de nare & vulnere crebro
Currere, & effuſum barbas manare per hirtas,
Cum ſanie tabum, ruber hic fera bella character
Scribit: & irati ſignat monumenta duelli.
Effrons ebrietas Marte eſt pugnacior ipſa.

Pars decima quinta.

Duæ vetulæ ebriæ mutuis pugnis in ſe concurrunt lepido ſpectaculo.

SEd nec in his circis generoſo cedit Achilli
Acris anus, mirè poſt ſeptem pocula pugnax.
Xantippæ geminæ verbiſq; miniſq; tonantes
Poſt celebrata ſuæ certamina plura diotæ
Conſeruere manus, & digladiantur in armis.
Palluit ad furias primò, ſed poſtea riſit
Prælia, vicinis quæ Flora ſedebat in hortis.
Imponunt ambæ ſuper hirtos brachia lumbos:
Exertant collum: fauces in ſcommata ſolvunt:
Atque hæc venturis præludunt claſſica pugnis:
Hæc ſunt lymphatæ crepitantia tympana Bacchæ.
Prima fremit: veſtri lupa tu ſpurciſſima pagi:

Túque

úque in vicinis Venus obſcœniſſima caulis!
uô tu proſtibulum tantùm ſemel hiſpida condis
embra ſpecu: mox exſurgebat adulter ab omni
arte vapor: turpis debet flagrare caverna,
)éque tua Venere inceſtum fumare mapale.
'allaca calva tace: tibi nulla eſt frontis honeſtas;
'elle nec inſulſa Caſtus reperibilis unus
Eſt pilus, aut mundi bona gutta vel una cruoris:
Es meretrix veſtri ſcabies putridiſſima ruris.
Altera ſubnectit: tu capra petulca quid affers?
Illo te pingis calidiſſima lena colore:
Hoc emblema tuum eſt: hoc fumas ipſámet igne
Dudum vacca tui tu laſciviſſima vici,
Quæ nunc ejecto corrumpis nubila ſputo,
Incendíſq; Albim, talem qui nutat & horret
Ad furiam: te proripe, & illo pendula clavo
Suſpendare tygris; releves ut pondere terram,
Terram ſub magico pede laſcivóq; gementem.
Deînde manu rapuere lutum, mera ſtercora jactant
Alternis ſtudiis: imber volat ille lutoſus
A dextra lævâq; ſimul, nubéſq; fatigat.
Mens eſt ſcommaticas hac ſorde utrimque cloacas
Obſtruere, & buccam intruſa farcire mephiti.
Pòſt Mars in crines atque in candentia frontis
Pepla ruit: rapitur nitidus de vertice limbus,
Tania rurali quondam contexta Minervâ
Auribus abſtrahitur: ſudanti rancida collo
Succina, & agreſti ſpecioſa corallia faſtu
Raptantur cervice olida, pedibúſq; teruntur:
Et quæcunq: ſuper radiabat gloria vultum,

 Occi-

Occipite excutitur, tetróqur ingesta fimeto
Tunditur in miseras injecto stercore formas.
Mox sua tela jacit, sua fulmina torquet Erennys
Utraque, & audaci cuneos virtute librabat:
Rapta sed à geminis sandalia sordida plantis,
Excussæque duæ crepidæ sunt tela Megæræ;
Sunt hujus furiæ jactatum fulmen & ignis.
Illa nova attonitas volat armatura per auras;
Ora quatit: collúmque ferit, costásque flagellat;
Atratúmque femur lutulentáque tergora pulsat,
Ore ruit sanguis, tunsa de nare cruentus
It liquor: & sanies deno de vulnere manat.
Demum terribili vicinia territa bello
Accurrit trepidans pugnacia bella diremit,
Vi fregit pugnas, *t*) contis muliebria rupit
Prælia, & iratas cogit requiescere tygres.
Ergo ambæ ad proprium vertuntur Erinnyes antrum;
Lingua tamen pugnas reparat: ferit undique rursus
Scommata, & ingenti revehit convicia plaustro,
Ut pro lassatis succedat bucca lacertis:
Donec nocturnus fregit deliria ronchus.
Quæ ratio nequiit componit prælia Morpheus.

Pars decima sexta.

Conqueritur Iupiter se hanc pugnacem ebrietatem non in uno modò loco, sed plurimis deprehendisse: jubet deinde, ut Mercurius graves aliquot, quæ occurrerant blasphemias enarret.

t) Contus, magnus est baculus.

MOx ardens oculis, acri penè igneus irâ
Indignatus ait ſolio Rex Jupiter alto;
Iec ſcena illa loçó turpiſſima luditur uno;
Irbem, caſtellum, pagum, vicúmque nec ullum
ıgredior: fracto ſemper mihi crapula greſſu
) bviat, inflictis contuſa & livida pugnis,
'ulnere fiſſa genas, perfuſáque ſanguine ventrem,
Iilléque rixoſis ructans convicia buccis.
Ioc ſimul eſt certum; portenta hæc ebria primam
Iaturam exuerant: veteris tantùm extima manſit
ffigies hominis: ſed quod ſucceſſit in imas
ıgenium fibras, redolet porcúmque caprúmque,
ugnacémque bovem, mordacem dente moloſſum.
)uis Deus ad tales non efferveſceret actus!
ertè ego dum vidi totus mea viſcera motus
'ix me continui, quin flammâ & fulmine jacto
Ionſtra hæc percuterem, temulentáque bruta cre-
marem.
ed nunc plus ſcelerum juvat eduxiſſe ſub auras;
It polus agnoſcat quod ſit juſtiſſimus ignis
Quo modò per tremulos exarſi turbidus axes.
Iercuri in orcheſtrâ nunc rhetor clarus apertâ,
ffer; quàm petulans fuerit blaſphemia nobis
)bvia: ſacri legíſque aures has fregerit odis.

Pars decima ſeptima.

*Narrat Mercurius alearum & chartarum lu-
ores graviſſimè blaſphemos, fuiſſe deprehen-
os; & unum quidem cùm in alea monadem*

 (latini

(Latini canem nuncupant) expectasset: sed spe sua frustratus senionem obtinuisset, se & aleas & Iovem per mille blasphemias ad tartara devoventem.

Aleo cum sociis noctémq; diémq; *u*) fritillo
Fregerat, & jacto perdebat tempora talo;
Perdebat plenæ, sat prodigus æra crumenæ;
Quámque suis uxor lanis linóq; monetam
In panem, & modicam collegerat impigra vestem,
Ille rapax milvus, diræ pro more *x* Celenûs
Eripit uxori: stricto incubat ense neganti,
Invitámq; ferox vult glubere latro maritam.
Mox raptam trepidante penu vel paupere *y*) risco
Argenti prædam fert ad certamina ludi.
Sudorem uxoris pensíq; colíq; laborem
Deponit ludens, & iniquo hoc pignore certat.
Circumstant abacum furiæ: fraus farta dolosis
Artibus, & crepero vendens mendacia rictu,
Infelix aliena dolens ad gaudia livor,
Suspicio semper titubans, furaxque cupido,
Ira parans pugnas, variis Eris effera bellis
Circumstant talos. Jactos ante omnia *z*) cubos
Barbaries blasphema movet: creberrima ludum,
Infaustámq; simul replet execratio mensam:
Nec semel à motâ procurrit tessera dextrâ,
Quin blasphemanti simul intonet ira tumultu:

Atque

u) Fritillus, abacus lusorius. *x*) Celæne, una harpyarum. *y*) Riscus, foramen in muro ad focum. *z*) Cubus, est alea.

Atque omnes lemures omnésq; Acheronte phalangas,
Cerbereúmq; ipsum vocet in certamina monstrum.
Vidi ego cum *a*) monadem calidis petit aleo votis:
Jam canis une veni, clamat, te turbine facto
Postulo: te lucrum te gloria nostra requirit.
Quòd si difficilis mea vota canicula ludas,
Eumenis erumpat barathro: squalentibus umbris
Advolet Alecto, stygiis crinita colubris,
Adsit Tisiphone: veniat Medea, Medusa,
Lusores omnes orci fornace cremandos
Abripiant: toto tumulent phlegetonte fritillos:
Hæc Acheronteo flagret alea pessimo ponto.
Sed tamen hìc votum fallax fortuna fefellit:
Occuluit monadem: patuit productus in auras
Senio, lucrandi qui spem subverterat æris.
Hic lusor graviter blasphemus in astra Jovémque,
Vah! immane scelus! (clamat) cur Jupiter unum
Non dederas inimice canem? quid senio ferret?
Hic mihi lucra rapit, totum evertítque triumphum.
Quòd si tu nostros, pergit, subvertere ludos
Jupiter intendas, modò vade infeste Monarcha:
Cum Jove nil habeo rerum: genus illud olympi
Odimus, excutimus. Celso ruat axe severus
Jupiter, & fracto labatur in æquora collo,
Si nostrum durus neget adjuvisse fritillum.
Mitra Dei tremuit: per vestes palluit aurum
Quando barbaries tremulas boat ista per auras.

a) **Monas, in alea vocatur latinè canis.**

Divinare poteſt: mihi credite: ſcipio dextrâ
Excidit è tremula: clarúſque in veſte ſmaragdus
Palluit: erubuit mea candida deflua cyclas:
Immugit tanto dum barbara bucca tonitru.
Hæc nec tempeſtas pagum blaſphema per unum
Intonuit tantùm; linguoſa hæc fulmina toto
Horreſcunt Albi; centum bacchantur in antris.
Judicium jam ferte Deæ, ſin vindice flammâ
Hos ego blaſphemos cinerâſſem iratus abortus:
An non has merito plexiſſem turbine peſtes.
Cerne rebellantis jam plura piacula vulgi.
Nunc age ſanguineos, quos prendi, pinge latrones
Mercuri, & effuſo ſtillent tua ſanguine metra.

Pars vigeſima.

Refert Mercurius viatorem à latrone è dumis erumpente crudeliter eſſe obtruncatum.

NIl fati veritus properat per rura viator.
Regia, quam tenet ille, via eſt, & ſemita campi
Publica, quâ proprios currebat adire penates.
Ecce tibi, erumpit dumis caulàque c) Procuſtes;
Ex digitis rorabat adhuc de ſtrage recenti
Sanguineum tabum: ſanies thorace fluebat:
Crure cruor ſtillat, lapſæque homicidia noctis,
Præſentíſque ſimul meditata ſepulchra diei
Vel tacitus loquitur: mera fata necémq; frementes
Eructant fauces, clavas, chalybémque minantur.
Non homo dixiſſes hoc cœco erumpit ab antro:

Sed

c) Procuſtes, nomen latronis.

Sed leo, vel tygris de nigreſcente cavernâ
Exierit, vaſtos cladem fabricare per agros,
Carnéque in humana pinguem quæſiſſe ſaginam.
Suſpenſo tacitus paſſu rabiéque ſilenti
Adrepit furtim latro. Mox præparat ictus
Non advertendos, inopináque ducere bella
Tentat: ut occultus magè certus ſæviat enſis,
Ergo ſui ſceleris tutiſſima tempora nactus,
Incubat innocuo ſubitus: latus haurit utrumque
Cuſpide, ut à dextris ad coſtas truſa ſiniſtras
Exeat: & penetrans tremefecerit aëra conus.
Labitur exanimis, lacer exta jecúrq; viator,
Effundens animam perhiantes corpore plagas,
Quæ tunc cum gemitu fugit indignata ſub umbras.
Mox latro ſanguineos in prædas injicit ungues,
Scrutatur peras, loculos celer excutit omnes:
Deprenſam raptat jejuna harpya monetam:
Diripit à tergo veſtes ſpoliátq; cadaver
Ille rapax vultur. Tunc ad ſua funera verſus,
I propera, ludens dicit, noſtrámque ſalutem
Ad phlegetonteas affer bonus advena larvas:
Officioſus, ave de me Ditique caníque
Dic ſtygio: dic noſter adhuc bene fulminat enſis.
In ſtrenam, munúſque Jovi mittemus averno
Plura opportuno mactata cadavera ferro.

Pars

Pars vigesima prima.

upiter graviter adhæc narrata suspirat jubétque, ut Mercurius adhuc aliqua quæ occurrerant homicidia enarret.

VIx hunc Mercurius cessat cantare procustem;
Cùm tremulas mœstis pulsat singultibus auras
upiter, & mixtas depromit luctibus iras.
'ah! latro, Numen ait, sic sævit tygris in agnos?
ic in delendum bacchatur ovile leæna?
ic lupus, & crudi lacerant armenta dracones?
xueras hominem prædo, monstrúmq; cavernæ
etheæ indueras, dum sic frendente machærâ
jicis insontem fuso cum sanguine vitam;
ed mea fulmineas etiam ejecisse procellas
'extra potest, juro, fiet tibi Jupiter ultor,
ed tu nunc ultra scelerati funera ferri
Iercuri in hoc nostrum produc per metra theatrum.

Pars vigesima secunda.

efert Mercurius deprehensum fuisse herum, ui famulam pauperem, ob inventum recen- er thesaurum impactâ palâ, interfecerit, ibiq; ubi thesaurum invenerat, mactatam rursus defoderit.

ET timor & bene cautus amor defoderat olim,
Sub trunco, vetulæq; imis radicibus orni
'hesaurum pinguem: qui multos tutus in annos

Arbo-

Arboreo custode illo, feliciter omnes
Frustrârat fures, rapidósque fefellerat ungues;
Luserat harpyas, corvos decepit hiantes.
Demum consciffis d) Hecale vix tecta lacernis,
Sordida gentis anus, famulos stipe pacta labores
Fortunâ prendente manum, descendit ad illam
Ignorans ornum: vertit, fodit, egerit arvum,
Thesaurum tangit: ditis patrimonia Crœsi
Invenit, & plenas felix ejecit in auras.
Illa insperatas dum tollit carcere gazas,
Et salit, & ridet, nec se capit amplius ipsam:
Et se non Hecalen, quin se Crœsúmq; Midámq;
Esse putat, nulli nunc cedere certa toparchæ.
Sed quàm falloci ludit fortuna cothurno!
En famularis anus narrat sua fata vicésque
(Flamma prius fumum, quàm gaudia fœmina celet.)
Narrat opes, narrat saltantis jubila cordis,
Et monstrat jucundi sui fatale talenti
Inventi specimen, sestertia quinque vetustæ
E Roma formæ, censore incisa Catone.
Ut videt, ardet herus, gazæque inhiabat adeptæ,
Et tacitus furias, Ditem, piceúmq; Charontem
Poscit in auxilium, juvet hac spoliasse ministram
Fortunâ: non est hac digna pedissequa sorte
Inquit: erit nostris magis apta hæc gloria cistis.
Dic, pergebat herus, quonam campóve locóve
Hic mammon latuit. Lubet istic vertere glebam:
Fors & ego veniens e) Irus, Rex Crœsus abibo.
Illa

d) Hecale, pauperculæ nomen. e) Irus, nomen pauperis.

la locum monstrat: dominus mox effodit agrum,
)uæque hominem capiat facit impiger ille lacunam.
lox furiis ardens, toto velut igneus orco
ıtorquet geminis librata f) bipalia palmis
t famulæ illidit: diffindit triste cerebrum,
Ierculeúmque ictum per tempora ad ubera ducens
rudelis mediam secat in duo frusta puellam,
ıjectámque scrobi, jacto super aggere texit.
lox hic milvus hians rostrúmque unguésque rapinæ
ptat, & adjungit jam cladi furta priori.
aza quid ad famulam, dicit, non portat inaures
lulus: nec veteris splendentia serta monetæ
acca gerit: Nostræ fulgens hæc massa maritæ
uadrabit meliùs: quæ post velut altera juno
·odibit posito vetulum super occiput auro,
ppendens binos aures ad utrásque pyropos,
irsutúmque femur textâ bombyce coronans:
c ait, & plenos cudit trux latro triumphos.
ıpiter ingemuit; visúque ad sidera verso,
et prope, divinos hæc insidiosa subibat
um clades oculos: quin ipse in fronte galerus
ʞpavit tremulus: tremuere in syrmate gemmæ
séque concussâ titubabat scipio dextrâ
·d fas sit versu plures cecinisse latrones.
Quò plus est scelerum tantò Iovis æquior ira.

Pars

f) Bipalium; pala.

Pars vigesima tertia.

Refert Mercurius heram à famula veneno offa immixto enecatam.

Vidi ego, cum dominæ furiata pedissequa coxit
Toxica, & hoc diro sparsit jentacula succo.
Quid facis, ajebam, quid tu proserpina tentas?
Incussique metus: ast ejicit illa timorem,
Incubuitque suo sceleri: sua toxica miscet:
Sævam compositâ mortem concludit in offâ:
Apponitque dapes dominæ. Mea juscula, dicit,
Sume lubens. Artem volui monstrare coquinam,
Et studium speciale tibi; dum fercula nostræ
Hæc struxi dominæ. Ponet sua nectara Juno;
Deferet ambrosiam Pallas, si Jupiter illis
Has nostras offerre dapes & juscula vellet.
Ergo jejunum per falsa encomia ventrem
Accendebat heræ, quæ bina in amystide totas
Exhaurit lances, hostémq; in jure sepultum
Imbibit, ac mortem miserâ deponit in alvo.
Gratia mox vultûs periit: mox vividus oris
Evanescit honos, pallórq; horrórq; trementem
Invadunt faciem. Miros torquentur in orbes
Lumina: membra tremunt: gelidos sudata per artus
Lympha fluit: pavidas quatiunt fera tormina fibras.
Undique se monstrant diræ præludia mortis.
Donec libratis libitina severa sagittis
Infaustam dominam sumptas confecit ad offas:
Ilia disrupit, gelidámq; ad juscula liquit.

Suc-

:cessisse scelus dum bellua pessima cernit,
r circumsiliit: ter festum concinit io,
pro felici cudebat crimine plausum.
l planctus luctúsque Jovem contundit acerbus
ı, inquit sic crimen ovat! sed frangere certum
triumphalis festiva tripudia fraudis.
l plures hominum liceat describere strages.

Pars vigesima quarta.

Varrat Mercurius, quòd seipsos malitiosè interfecerint.

Vidi ego de macris desperabundus aristis
Cùm redit ad caulas lacerúmq; mapale colonus,
tæsus campi maciem, pertæsus aratra,
tæsus siliquas, vitam pertæsus & auras.
nplexu stringit restem, septem oscula funi
it, & in laqueum stultos testatur amores.
um dulce veni, dicit, tu cannabis esto
ortunati finis clausuráq; ludi:
duc post callum post sudantésque labores,
lque doloriferæ mille infortunia vitæ,
: ubi defuncti manes cum pace quiescunt.
iç ingemuit: circùm sua guttura torquet
nabinam restem, mortis sceleris q; ministram.
ectit clavo funes, & triste pependit
dus, damnatam compellens cedere vitam.
i ego quando alius temnens ludibria lucis,
:opulo plenum sese projecit in Albim,

Æternam quærens funesta per æquora noctem.
Vidi ego dum cultro sibi conscidit ilia miles
Extrudítque animam facto per corpus hiatu.
Sed mactabundas necdum latro abjicit iras:
Quin strages plures crudæ immolat ille phrenesi.
Jámque novum sævi promo paradigma furoris.

Pars vigesima quinta.

Describit Mercurius rusticum à milite glande trajectum.

Litibus & rixis altercabantur obortis
Rusticus & miles: sed prælia garrula linguæ
Rixosique fori damnabat miles: & armis
Decidi litem voluit Martísque macharâ
Quid mihi cum rostris, clamat, quid jura quid urna
Me juvisse queunt; qui pro Minoe Gradivum,
Pro Themide hastigeram solam cognosco Minervam!
Est solo semper mihi jus & laurus in ense.
Ergo veni, pergit, tu dilectissime mucro,
Tu globe, tu plumbum, tu sclope & flamma nitrata
Nostram pugnacem propera decidere causam!
Dixerat: & sclopos plumbo nitróque repletos
Tendit in agricolam: ferrata ab arundine pestem
Ejicit, & triplici trajecit glande colonum.
Ille ruit gelidus: toto sparsítque cerebrum
Jugere, & insontem multo cum sanguine vitam
Exspuit, atratos celerans invisere manes.
Jam vici, clamat miles, finitáque lis est:
Prostratus noster silet adversarius hostis:

Quin

Quin satìs ostendunt æterna silentia victum.
nunc! magnanimo tua bella forensia Turno
itenta: sævus tortis jus Turnus in armis
Omne gerit: ferróque illi victoria solo
t flaminis venisse solet: sic ille triumphat.
st ego quàm gemui Nymphæque Deæque polares,
æc portenta videns. Num, dixi, ille angulus orbis
Iumanâ sub fronte feras, tygridásque lupósque
ducat? & falsâ fratres in imagine ludit?

Pars vigesima sexta.

*statur Iupiter occisorum manes poscere vin-
ctam, jubétque ultrà ut Mercurius exponat
aliquid istius lasciviæ quæ
occurrerat.*

MErcurius vix dum cessat, cum Jupiter ora
Atque iras aperit, quin vidi, clamat, in agris
itè dispersos humani corporis artus,
uos latro dissecuit, quos toto seminat arvo.
rania fusa solo, jactum per prata cerebrum,
igubre truncatâ caput à cervice revulsum,
bstractos humeris armos, & pectore costas
tonitus jacuisse per avia & invia vidi.
t vidi, gemitus mixtúsque doloribus horror
oncussit gremium. Lachrymis quoq; nostra pluebat
fusis pietas, & tot dispersa per agros
inera ploratis tingebam Jupiter undis,
pe simul tacitas credebam audire querelas

Oſſibus â truncis laceróq; cadavere fuſas;
Queîs ſua cum veteri flebant divortia parte
Primáque cum ruptis plorant Connubia membris,
Quæ nunc latro furens conto, ferróq; rotato
Diſciderit, nullos unquam coitura per annos.
Murmure quin tacito projecta in ſaltibus oſſa
Increpuere meos ad fulmina debita motus,
Ut pigros lentóſq; nimis; dum grandia dudum
Crimina vindictam, flammas, & mille vocârint
Pro meritis pœnas; & adhuc mea dormiat ira:
Ægri langueſcant torquenda ad tela lacerti:
Sed vindex Minos jam non dormiverit ultrà.
Vindico mactatos per ferrum & toxica manes:
Effundámque iras Diſces pater Albi furentis
Et cuneos & tela Jovis. Jam frangere certum
Horribilem gentem, ſcelerúmque evertere cauſam.
Tu nunc laſcivas Veneris de ſtirpe cohortes
Mercuri in hac patula propone diſertior aula:
Aſt aliquas tantum de claſſe hac protrahe ſordes
Fœtentéſque minùs; ne frangant ſtercora nares.

Pars vigeſima ſeptima.

Enarrat Mercurius, quòd valde multos ex omni genere tum virorum, tum mulierum, tum juvenum, tum ſenum, tum divitum, tum pauperum, deprehenderint, Veneris caſtra ſequentes.

Ergo

ERgo lascivæ pinxit sic agmina gentis
Mercurius: modicè vix perlustravimus Albim
nquit: & extemplo seriésq; globúsq; sat ingens
.uxuriosorum, Veneris prorumpit ab antris.
)sa præit lasciva cohors & castra voluptas,
ertis cincta caput, nardo perfusa mamillas,
'ellucente sinum vixdum contecta *g*) theristro:
)extra gerit tædam, quâ castæ lilia vitæ,
)uâ decus innocuum, quâ virginitatis honorem,
)uâque verecundum cremet, exurátque pudorem.
æva rotat labarum, quo claro pictus in auro
lic versus legitur, velut exhortator ad arma:
)uò voluptates rapiunt sequare.
æ tuum corpus poterunt beare.
bviat virtus tibi cum ferinis
barbara spinis.
s solos loquitur, solos modulatur amores.
)los amplexus, Hymenæi gaudia sola
ccinit, & blandâ facilis dulcedine Musæ
:citat, & prendi sua spurca tripudia mandat.
:s in perpetuas prurítque calétque choreas:
:que suis fidibus vicinus tinnit *h*) Arion,
ıt alacri; aut lento feriens sua barbita pulsu;
: ardet circùm pede lascivire salaci.
ınc permulta ducem quærit sequitúrq; voluptam
)pia, & ex hujus dulci vult lege perennis
vere: vult mores, animum, studiúmq; fidémq;
.ıjus ad incestæ dictamina fingere Nymphæ.

 Quin

:) Theristrum, vestis pellucida. *h*) Arion, nomen musici.

Quin genus omne hominum caſtris certabat in iſtis;
Illis ad plenas frigens edentula prunas
Jámque exſucca ſinum, jam toto corpore marcens,
Annorúmque ſuo multùm de pondere curva
Eſt multa in caſtris, poſtremáque tempora vitæ
Inter acidalios certat concludere riſus.
Turba puellarum vexillis magna ſub illis
Conſumit totum per adultera gaudia florem.
Multus ibi juvenis penè æquans gramina ruris
Currit, & effreni petulantior ìlle caballo,
Hinnit, in incepto nunquam frænabilis æſtu.
Decrepitíque ſenes his ordine & agmine longo
Stulteſcunt caſtris: Veneri deliria ſacrant:
Eſtque labor ſolus cyprio inſanire furore.
Hoc multus putrido delirat in agmine Crœſus,
Dives opum, dives pecorum, ditiſſimus agri.
Æra ſacrat Veneri: gazis barathrale lupanar
Stultus emit: putridi fœtentiáque ubera ſcorti
Mercatur nummis, calidos meretricis amores
Sæpius immenſo demens accendit ab auro.
Theſauros donec ſcortans liquefecerat ignis:
Et primus *i*) Crœſus rediit pauperrimus *k*) irus.
Eſt & inops *l*) Hecale ſpurcis his multa catervis:
Amplexúſq; ſuos, & baſia putrida vendit,
Próque datis nummis ad quævis ſordída proſtat,
Mercatrix miranda ſatìs, Veneríſque propola:
Quæque Hecalen crebrò poſt ſtupra frequentia ponit,

Atque

i) Crœſus, nomen divitis. *k*) Irus, nomen pauperis.
l) Hecale, nomen pauperculæ.

tunc auro turgens gemmis bombycéq; compta
t dives scortum, Veneris subsultat ad aras.
uid multa? hìc quavis aliquos de sorte videbam.

Pars vigesima octava.

onqueritur Iupiter, risui & ludibrio fuisse
em, qui bono animo ab hoc spurco vivendi
enere dehortabatur: imò in Iovem ipsum cul-
am fuisse conjectam, ùt qui tam calido san-
guine istius gentis venas prima ab ori-
gine impleverit.

MOX multùm querulâ subsumit Jupiter odâ:
Sin aliquis casto veniens ex agmine Thomas,
ccensus sacro puras ex igne medullas
struit obscœnum monitis melioribus agmen,
genus hoc cepto vult abstraxisse furore;
censósq; imis extinguere in ilibus ignes:
que scopos istos Musâ facundior omni,
clamet, fili quæ te dementia cepit!
ò malè sane ruis! quò te tuus abripit æstus!
scivum frænate œstrum Comburit honorem,
mburit vires, comburit adultera gazas,
mma, tuæ caræ comburit stamina vitæ.
iàm meliùs posthâc regeret prudentia mentem,
non luxuries: regeret præclarus honesti
rpus amor: regeret tua facta pudórq; decórque:
que sepulchrali de calle reduceret isto!
li subrident: simplex & sanctule dicunt:
iid quereris! nostro quid succensebis amori!
turam sequimur: quam vim sanctissimus ille

Jupiter impressit, sequimur: flagramus ab igne
Deposuit nostris quem Jupiter ipse medullis.
Aut flagrare sinat: vel tollat pectore prunas,
Naturam immutet, genium frigente calentem
Vertat, & antiquas alio de sanguine venas
Implevisse velit: tunc Albim virgo natabit:
Et niveis spumam lambet castissima labris.
Rhetora sic illum gens ista petulca retundit,
Et sannis opplet, risu sacrastica temnit.
Atque ego debebam sceleris Venerísq; vocari
Fons primus seménq; ipsum, radíxq; vetusta:
Hæc me cum spurcis authore incendia fumis
Surgere: perq; Jovem populos hac peste cremari.
Grandia, crede mihi, manus hæc miracula fecit,
Dum flammâ abstinuit, dum necdum ex axe procellã
Fulmineam excussit: busto quæ verteret atro
Albis districtum, & totam sub pulvere gentem
Conderet, infandâ luituram crimina strage.
Plura meretricum jam metro facta severo
Mercurius pingat. Superis justissima constet
Ira Jovis, meritúmq; Albi flagrare tonitru.

Pars vigesima nona.

Refert Mercurius, meretricem duos spurios uno partu editos crudeliter enecâsse.

MOX sic Mercurius: (stat adhuc pulmonibus horror)
Vidi, mœchati vetitum dum crimen amoris
Debuit insonti proles incesta cruore
Spargere, & ardentes Veneris fumantis ad oras
Maternis furiis verissima victima cædi.

Nam

Nam ſub fornicibus meretricia Lena *m*) Lycoris
Ediderat geminos æſtu ſcortante puellos.
Cùm ſtupet: & duplex larga de Cypride munus
Contemplata diu, demum per adultera clamat
Antra: ah! me miſeram! cur duplice prodiga dono
Alma Venus noſtros voluiſti implere furores,
Idalióſq; meos hac tempeſtate dolores
Solari binâ Dea profuſiſſima prole!
Hæc dum viva mihi cumulas tua præmia: creſcit
Cum dono creſcente labor maternus alendi
Multiplicem ſobolem: creſcit pia cura, timórque:
Creſcit pauperies: æris penuria creſcit:
Nec ſcio, quo tandem vel farre, aut ruris ariſtâ,
Quâ dape, quâ mulctrâ, vitis lupulíve liquore
Exſaturare queam bini jejunia nati.
Ejulo, lamentor, dum munificentia tanta
Occurrit Veneris: ſalſus ruit imber utrique
Ex oculis: duplex hæc indulgentia quando
Cor ſubit: & gemini feriunt lamenta puelli.
Alma Venus nôſti (paphios ego juro per arcus)
Nôſti, nulla Ceres ullâ mihi clauditur arcâ:
Hæc mihi nil lini, aut lanæ caſa juncina condit:
Nil æris ſervat veteríſve novíve crumena.
Antiquus Plutus, primæ ditiſſima vitæ
Gloria diſperiit: conſumpſit opima lupanar
n) Gargara: acidalios inter patrimonia luxus
Effluxere mihi: tantùm meminiſſe relictum eſt
Fortunæ antiquæ, & varia ſub clave ſeráque

 Servati

m) Lycoris, nomen meretricis. *n*) Gargara, locus ſegetis fertiliſſimus.

Servati quondam Pluti: jam tristis egestas
Implevit loculos: habitat macilenta penates
Pauperies, atque hanc funestat acerba cavernam.
Vix tantum superest, bino in jentacula muri
Quod satìs esse queat. Testis Paphus, atque Cythera
Celsa mihi: geminæ sua prandia ponere proli
Est supra vires, & fata miserrima caulæ.
Parva priùs vastum pascet fringilla leonem:
Ingluviem tygridis, spatiosa abdomina ceti
Una priùs dapibus prædísq; saginet hirundo:
Quàm mea pauperies hoc par miserabile prolis
Farre requisito queat uno implere bimestri.
Ut dixit: multus gemebunda per ora cucurrit
Fletus: & insanus pulsat frigentia planctus
Pectora: correpti velluntur vertice crines:
Et lamentanti quatitur casa nigra tumultu.
Jam Venus, & spurcæ lasciva tripudia noctis,
Jam furiosus amor dulcésque libidinis ignes,
Oscula, & amplexus, incestíque gaudia centum
Damnantur votis, ipsum damnantur ad orcum:
Damnatur stygios Venus exitialis ad angues.
Mox iterum natos scortum lachrymabile spectat,
Et propè plorato mergit sua pignora rivo.
Suspirat decies, gemitúque ingente mapale,
Verberat: & plenâ veluti correpta phrenesi
Exclamat, fer opem Pluto, da Cerbere dextram:
Spectra juvate stygos: nigra monstra occurrite Ditis:
Omnis in auxilium phlegetontia turba laboret.
Quid si districto juvenilia viscera ferro
Medea irrumpam, vitámque famémq; sitímq;

Uno

o ictu tollam? miseræ venturiq; vitæ
a per hoc crudum studeam prævertere crimen?
semel infelix proles: ne tempus in omne
ortunatam decumanus turbo flagellet.
xerat: exiliitque toris cultrúmq; coquinum
nuri o) risco furialis raptat Erinnys.
cotes acuit sævi instrumenta furoris,
undítq; suos coti pro flumine fletus
le aciem supra tentabat pollicis unguem,
plorátq; aptam scelus ad furiale machœram;
lue nunc animos lethalis culter & iras
quit & ad facinus non expallesce patrandum.
ima natorum culter fidissime corda
scindes, vitæque asperrima fata futuræ
olibus à geminis gemino removebis in ictu.
ox furiis impleta sinum, spumâque fluente
orrida, cerbereos spirans ex ore furores
volat ad proles. Iterum Ditémq; stygémq;
scit opem, & felix ex orco flagitat œstrum.
go irâ ringens unius prolis in alvum
rudit chalybem: costas hepárq; jecúrq;
vitam scindit: fusóq; è prole cruore
pergit veteres incesti criminis ignes.
le cruentato, trepidóq; ad funera ferro
cubat p) Alecto proli scelerata secundæ:
srumpit cultro pectus: penetrátq; furenti
r hepárq; ictu vitam pulmonibus aufert.
ox ait illachrymans, proles ignosce parenti:

Fer-

o) Riscus, foramen in muro ad focum. p) Alecto, nomen furiæ.

Ferratis dapibus ſtomachum ventrémq; replevi:
Confiteor: ſed veſtra tamen fortuna coëgit:
Nam per tam duram graviore tyrannide ſortem
Exemi natos. Ventrem nunc nulla latrantem
Arrodet tentata fames: nec dira medullas
Excoquet ulla ſitis: non ullo turbine livor
Evertet: nec aduret frigore bruma; nec ignes
Unquam ſiderei poterunt torrere leonis:
Ipſemet, infeſtis qui Jupiter intonat armis,
In vos, O pueri, poſt hac nil juris habebit:
Ipſius furiis, igni, telóq; triſulco
Subtraxi noſtram mater ſat provida prolem:
Clade una ſobolem millena clade redemi.

Pars trigeſima.

Narrat prætera Mercurius, infantem alium fuiſſe à matre adultera ad ſilicem alliſum & contritum.

PErgit Mercurius cœptam contexere telam.
Sic ait: altera mœcha ſuum de crimine pignus
Dum ſpectat: vivúmq; ſcelus, jam currere totâ
Et reſonare domo cernit: candeſcit ab irâ
Indignabundo fremuit per tecta tumultu.
Mox ſecum mugit: mea crimina adultera nunquid
Occurrent oculis ſemper? thalamóſq; ſalaces
Nocturnúmq; ſcelus, laſciváq; gaudia carnis
Continuò obtrudet puer ille incæſtus, & acri
Cuſpide configet matrem? fuerítq; parentis
Perpetuus lictor? qui ſemper murmure vivo

Expro-

Exprobret facinus, me scortum putre perenni
Et viva ratione probet? meliora profectò
Dis & tenariæ suadent urgéntq; Medusæ.
Quin vivum removebo scelus, nostróq; penate
Carnificem tollam, qui matri crimina semper
Oggerit: & me vel tacitus mœchámque lupámque
Clamat, & æterna miserandam cuspide figit.
Dixerat: atque hirto feralis hyena q) cadurco
Eripit infantem: spurcos hos r) Thais amores
Illidit silici, spargit per tesqua cerebrum:
Sanguineum scopulo succum trepidante reliquit,
Testem tartareæ furibunda in matre leænæ.
Non odii patitur nec amoris fœmina frænos.

Pars trigesima prima.

Iupiter præ indignatione jubet narrandis infantum funeribus finem imponi, & furta aliqua ad Albim deprehensa exponi.

SEd satìs est, clamat moderator summus olympi.
Rumpe tuum rhetor s) Tegeæe in carmine filū:
Juverit innocuæ cladis proscenia claudi.
Me furor incendit: magnus dolor ilia tundit:
Præcipitem rapit ira Jovem, quando audio matres
Prolis carnifices, partûs propriiq; latrones.
Claude hoc sanguineum Lachesis Clothúsque theatrum:

Nunc

q) Cadurcum, Teges lecticaria. r) Thais, nomen meretricis. s) Tegeæus, Mercurius est.

Nunc furta t) Autolyci, nunc milvos ſcena rapaces
Pandat & harpyas: curvóſq; in furibus ungues
Mercuri in appoſita propera celebrare poëſi:
Cenſeat ut meritos Divûm chorus ille furores.

Pars trigeſima ſecunda.

Narrat Mercurius quod modicus inſtitor aliquot telæ lineæ, & goſſipinæ volumina oblongæ capſæ à tergo pendulæ incluſerit: in hoſpitio ad focum depoſuerit: ut menſam in foro ſterneret in quâ ſuas merces pro præſentibus nundinis explicaret; Autolycum verò celeberrimum furem totam capſam cum omni telâ, intereà dum mercator in foro parat abſtuliſſe.

FAllax Autolycus, fraudum compactus ab omni
Et genere & ſpecie, fora, diverſoria, cellas,
Compita, cauponas, caulas, cunctáſque tabernas
Acer obit, gnavus luſtrat, deciéſque pererrat,
Adventûs centum novit prætexere cauſas:
Intereà motus, caſúſque intentus in omnes,
Sedulus obſervat, num quid cecidiſſe ſub ungues
Prædarum poſſit: num nil felice rapinâ
In vacuam valeat citus injeciſſe crumenam.
Ecce tibi modicus caſu ſubit inſtitor ædes,
Simplicis ingenii, veteris vir candidus ævi;
Hic ſecum attulerat bis quinque volumina telæ
E lino

t) Autolycus, fur.

E lino textæ, quæque insolata vetustum
Exuerant vultum, jamtúmque in fronte novata
Candentes vicere nives, vicere decorem
Argenti purum, claræ quin lactea lunæ
Ora excedebant minimæ non conscia labis.
Gossipii plures etiam de stamine fasces
Crediderat capsæ multo de flore superbos;
Ut prope jurâsses hoc texto spargere campo
Ipsam multiplices æstatem ruris honores:
Ver ipsum his telis totam permittere pompam.
Hoc modò crede mihi: parvam monstraverat Iris
Ipsámet invidiam, dum scena hæc florea telæ
Explicat in patulo depictas aëre dotes.
Institor has merces, hæc instrumenta parandi
Victûs, oblongâ cautus concluserat arcâ:
Munierat binis cistas & lintea claustris,
Inde ablativus, nequis sub tegmine milvus,
Ungue, vel ingesto quid posset tollere rostro.
Has tergo mercator opes portabat anhelo:
Intulerátque lari; vicina in sede recumbens
Ponit opes fascésque suos, parvámque diotam
Evacuat calidus, reparátque hoc vase vigorem.
Pòst ait ad famulam, quin tu pulcherrima Nympha,
Hanc cistam tueare parum: fora præpete cursu
Ipse petam: patulâ mensam stravisse plateâ
Mens est: quâ nostras disponam postea merces:
Et mea pompa foro splendescat linea toto:
Atque hæc Gossipii floralis gloria nostri
Provocet emptores, votúmque inspiret habendi.
Dixerat: ínque forum volitat: mensámque patenti
Dispo-

Disponit plateâ, nigro velamine sternit,
Prævolitánsque Euros primum ad penetrale recurrit.
Interea Autolycus dilapsum ad compita gaudens
Sensit herum: sensit famulam quoque vertere terga,
Triticeam è Cellâ forsan rapuisse farinam.
Tunc secum Autolycus: nunc utere tempore & arte:
Omnem rumpe moram, fabricanda celerrima fraus est.
A veloce dolo fortuna & gloria pendet.
Hæc ita vix secum: mox totam in tergora jactat
Stamine cum Cluso capsam. Pernicior Austris
Advolat ad dumos ignaráq; lustra diei:
Expectat piceos lunæ noctísq; caballos:
Quorum subsidio peregrinum abscurrat in orbem.
Institor ut rediit: cernit nec lina nec arcam:
Hæret, & attonito mutescit pallidus ore.
Mox rapidus prensat famulam: dic impia, clamat,
Dic meretrix, ubi cista? ubi linea nostra supellex?
Hæc jurat se scire nihil: sacra conscia cœli
Sidera testatur: testes vocat *u*) esseda Phœbi.
Ergo rudit clamore gravi mercator: & omnes
Scrutatur loculos: omnem rimatur hiatum.
Sed nec centoculus cistas adverteret *x*) Argus
Nec *y*) Lynceûs istic posset deprendere lina.
Institor ergo forum lamentis mille flagellat:
Ejulat: & tremulo rugitu verberat auras.
Jam ruit è tectis, & palabundus in agris
It lachrymans: iterum insidos lustrare penates

Jam

u) Essedum, pene idem quod Rheda. *x*) Argus, Centoculus. *y*) Lynceus, vir perspicacissimus visu saxa penetrans.

Jam properat: totúmq; forum, totámq; per urbem
Insanit, luctúq; furit: velut enthea Thyas
Currit: & eructat lymphato corde dolores.
NuncAcheronta movet: furias, Ditémq; Megærámq;=
=Ultor in arma vocat, qui z) Cacum protinus illum
Diffindant, stygiisq; pecus funalibus urant:
Sit donec tostum penitus: pulvísq; cinísque
De tam crudeli maneat vix fure superstes.
Suppetias nunc axe citat: totúmq; Deorum
Agmen in auxilium poscit: Nympháśq; Deásq:
Esse jubet præsto, raptam sibi reddere prædam.
Desperabundo pectus nunc obrutus æstu
Fata vocat, mortémq; citat, Clothusq; machæras
Postulat, infaustas subitò discindere lanas.
Grande mihi pondus, dicit, tristissima vita est;
Nunc volupe ad piceos patrum descendere manes.
Jam vellit crines: grandi jam pectora planctu
Tundit: jam frendet campis ululante furore.
Sed legit intereà tutissima devia Cacus:
Et tantùm ridet lætus quantùm ejulat alter.
Fert quod huic luctum, fert illi gaudia fatum.

Pars trigesima tertia.

Pergit in narrando Mercurius, refertq;, dum fur in aliorum terrorem suspenditur, adfuisse spectaculo Tityrū in a) *ascoperâ à tergo pendulâ centum imperiales portantem, quos fur novus discissâ subtiliter ascoperâ in ipso furti supplicio audacter abstulerit.*

F Mer-

z) Cacus, nomen furis. a) Ascopera, sacculus à tergo pendulus.

MErcurius pergit furti portenta dolosi
Attonitis ultra cœli cantare Deabus.
Nuper, ait, meritâ suspenditur *a*) ilice prædo:
Pendulus ut trunco, medius cœlúmq; solúmq;
Inter, ab hoc crudo terreret pegmate fratres,
Furtis arceret, solitísq; in rure rapinis.
Advolat ad scenam, laqueúmq; trabémq; cruentam
Plurimus inspector: Nemesísq; videre severæ
Contendit fulmen: pendénsq; à quercubus altis
Inspectare scelus furax, & præmia fraudis.
Huc à desertis etiam confluxerat hœdis
Tityrus infelix. Olli coriacia pendet
b) Mantica de tergo: centum quo fortè *c*) daleros
Composuit sacco: quos lacte, & vellere tonso,
Et bene distractis nuper congesserat hircis:
Quæ tunc pelliceus claudebat *d*) vidulus æra,
Déque humeris retro dilecta mole fluebant:
Pondere torquebant, oblectabántq; premendo.
En Harpya rapax furaces applicat artes
Has ad pendentes peras, nil territa reste,
Nil trabe funerea, Nemesísve ultricibus iris:
Sed dum quisque premit, gravioréq; turbine densus
Incubat in socios globus: audax illa *e* Celæno
Subtili gravidam discindit forfice *f*) bulgam:
Æráque per cæcum tacitissimus haurit hiatum:
Séque effert circo: spoliúmq; ad mœnia tuta

Ave-

a) Ilex, est quercus. *b*) Mantica, saccus retro & ante ab humero dependens. *c*) Dalerus, moneta Germaniæ. *d*) Vidulus & Vidulum, sacculus. *e*) Celæno, una harpyarum. *f*) Bulga, sacculus itinerarius.

Avehit, & factis meditatur jubila prædis.
Utque ſuo trunco jam pendet litera longa
g) Cacus: & ad proprias turba ingens diffluit ædes:
Tityrus inde ſuas etiam viſiſſe capellas
Avolat: aſt ſentit quàm nulla mole fatigat
Antiquus Plutus: facilémq; levémq; ſtupeſcit
Ille Deum: neſcit primæva ubi pondera Numen
Liquerit, & tantâ nunc ſit levitate modeſtum.
Inſpectat ſaccum: totúſque argentus ille
Fugerat è peris Plutus: nec transfuga parvam
Liquerat ille ſuî, diſſutis pellibus, umbram.
Tityrus ergo ſuum lachrymato rore replebat
Lamentíſq; utrem: fruſtratáque lucra gementi
Deflebat planctu: furit, ejulat, efferus ardet.
Ad centum clavos, ad reſtes mille trifurem
Damnat: & inventum vellet diſcerpere dente.
Sed fruſtrà abſenti rictus morsúſque paratur.

Pars trigeſima quarta.

Jupiter breviter enarrat ſe multas inveniſſe adulterinas emendi, & vendendi menſuras.

HAC mox ſubſequitur moroſus Jupiter odâ
Quid memorem geminas, quas foſſis hoſpita cretis,
Lineolas uno deſcribit ad oſtia tractu?
Quid falſas libras, quid adultera pondera dicam?
Quid nimiùm curtas memorem, prolixior, ulnas?

 Hoc

g). Cacus, nomen furis.

Hoc fraudum commune genus plus mille tabernas
Occcupat: obtrudit merces: furtiváque lucra
Ingenio fallace rapit: tacitísq; rapinis
Ludit, & emungit deceptas ære crumenas.

Pars trigesima quinta.

Refert Mercurius, fraudulentum domini bene divitis, & honorati scribam, nomine sui domini mutuos accepisse ab amico mille ducatos, idque domino planè inscio: manum domini finxisse, & ejus insigne apposuisse: census promissos anno primo accuratè solvisse, gaudente creditore, quòd tam præclarè suam pecuniam in census annuos elocâsset, qui propterea dominum inviserit, & ulteriorem pecuniam in census annuos obtulerit. ubi fraus fuerit detecta.

JUpiter ùt tacuit: citò sic *h*) Cyllenius infert;
Unum nativis pinxisse coloribus astum
Fas sit adhuc. Phryxus sat opimi scriba dynastæ
Simius egregius, fallacéq; plenus Ulysse
Déque sinone ipso quondam prognatus *i*) Alastor,
Fraude magistrali, quâ Ditem fallat & orcum,
Scri-

h) Cyllenius, est Mercurius. *i*) Alastor, malus genius excrucians.

Scribentem domini calamúmq; manúmq; toparchæ
Sic ementitur, Pluto juraret ut ipse,
Esse characteras domino pingente paratos.
Præterea vulpes hæc fallacissima norat
Fraude satis docta genuinum insigne dynastæ
Imposuisse suis, studuit, quas fingere, chartis.
Icone quâ visâ fraus suspicione carebat
Cura timórq; perit sequitur veneratio ceras:
Quin habet admissam tenuis dubitatio culpam.
Hac ergo praxi! domini sub nomine, mille
Suscipit à noto *k*) ducatos raptor amico:
Et certos spondet census, ubi Cynthius annum
Toto zodiaci lassus decurrerit arcu.
Dixit: & exactè præstat. Vix ultima venit
Hebdomas annalis: quando promptissimus offert,
Condictos olim census, *l*) apochámq; receptat.
Ignarus sceleris dominus, mysteria nescit.
Ast scriba à tacito tumefactus pectora Pluto,
Se jactat, circúmq; rotat, posuítq; priorem
Mox hominem, vultúsq; novos aliásq; figuras
Induit, à prima jam totus imagine dispar.
Imponit fronti cirros, nardóque fluentes
Cincinnos, variátq; suos bis mense capillos.
Tænia præstantes argentea & aurea vestes
Mordet, & innumeris prope circumflexibus ambit.
Súbq; peregrino coctus pyroente Lyæus
Ore ruber flavúsq; fluit; curásq; metúsq;

 Expel-

k) Ducatus, est certa Germaniæ moneta. *l*) apocha, scriptum factæ solutionis testimonium.

Expellit, plenas animatq; in gaudia noctes.
Alea jacta sonat, malè partáq; sæpe resorbet.
Sæpe suas turpes miscet Venus ebria nugas,
Et cum furtivo celebrat commercia Pluto.
Interea ignarus multùm gaudebat amicus
Quod sua tam Certos numerata pecunia census
Redderet. Invisebat herum censûsque soluti
Deponit grates: alios quin mille *m)* daleros
Offert in census. Stupet hæc portenta *n)* tetrarcha.
Quos inquit loqueris census? quæ somnia narras?
Quos ego, suscepi, mi dulcis amice ducatos
Unde tibi census referam? Mysteria promis
Occultata mihi: fors noverit *o)* Oedipus illa;
Ast sum *p)* Davus ego, cui fers ænigmata sphingos.
Non noctes sphingos tenebroso murmure promo,
Mirabundus amicus ait, sub nomine vestro
Scriba dalerorum duo millia mutua sumpsit:
Condictósque tulit census, dum Cynthius annum
Explevit: vide'n, hæc est syngrapha: stemmatis illa
Cera tui est: quâ tunc plenum chirographa robur,
Quâque fidem calamus, quâ pondus epistola grande
Accipit, & toto currit venerabilis orbe.
Obstupefactus herus, monumenta insignia fraudum,
Astutámq; artem, vulpináq; crimina scribæ
Turbatus spectat. Mox scribam mandat adesse.
Ille putabat adhuc plenâ sub nocte sepultum
Esse scelus, cujus necdum tenuissimus umbras
Erupisset apex. Volat in Conclavia promptus.
Tum

n) Tetrarcha, idem quod dynasta. *o)* Oedipus, nomen vatis. *p)* Davus, nomen servi.

Tum dominus multo candeſcens exta furore
O monſtrum, clamat, monſtrum phlegetonte ſub imo
Natum, & cerberei nutritum felle moloſsi.
Ecce tibi has chartas, fictæ hæc mendacia ceræ,
Hanc fraudum fabricam, monumenta hæc impia vafri
Ingenii ſceleriſq; tui: quis mille daleros,
Quíſve unum ſolidum ſumendi nomine noſtro
Imperium ſcelerate dedit? mihi promit abunde
Auratas Pactolus aquas, mea ſtemmatis unde
Gloria magnifico ſe jactet plurima faſtu.
Non opus eſt, quatuor ſeſtertia mutua ſumam.
Quin, ſat noviſti, prædo falſarie, noſtræ
Divitias aulæ, multúmq; penatibus aurum.
Hìc tremere, & toto vultu palleſcere ſcriba:
Sudare & patulâ miſer obmuteſcere fraude.
Dúmque nihil poſſet vafro excuſſiſſe cerebro:
Quo ſcelus ornaret, quo factos cometeret aſtus:
Carcere ſub furvo fraudum mercator Ulyſſes
Clauditur: ut quonam Rhadamanthus fulmine crimen
Plecteret, expectet: nunc ſuſpenſurus acerbo
Supplicio mundum, quem ſuſpendiſſet acuto
Crimine, & artifici vulpes bene callida fraude.
Ille tamen tacitum ſub muro nactus hiatum
Effugit elapſus clauſtro, minoia ridet
Fulmina, & avectus furias explodit heriles.
Cúmque dalerorum jam dudum plurima ſumma
Bacchum inter, Veneréſmq; ſuam conſumpta fuiſſet,
Gaudia commutat fletu deceptus amicus

 Flétque

Flétque ſuum raptum non conſolabilis aurum!
Fortunæ mos eſt invertere gaudia fletu.

Pars trigeſima ſexta.

Refert ipſe Iupiter quod Nemeſin, ſive juſtitiam, invenerit vehementer plorantem, & luctûs cauſas fuerit ſciſſitatus; jubétque ut Mercurius ultrà enarret, quas lugendi cauſas ejulans juſtitia attulerit.

IPſémet inde novis ſequitur Rex Jupiter odis:
Exclamat, vidi, Nemeſis cùm tota maderet
Fletibus: & multis quateret ſingultibus urnas.
Quid ſoror eſt cauſæ, dixi, ſuſpiria rore
Quod ſalſo tingas: veluti ſi præfica funus
Ploret, & excuſſo turbet penetralia leſſu.
Quid cauſæ eſt? quæ fata domum, quæ fata bilancem
Concuſſere tuam? quòd lachryma plurima tanto
Imbre ruat: merſóq; ſinu ploratilis unda
Stagnet: & infelix nil ſis nisì lachryma virgo.
Illa laborabat fati mihi pandere cauſas;
Ter conata loqui; ſed vox ſingultibus omnis
Frangitur: effletus ſecum verba abripit imber.
Dcmum cùm noſtrâ rorem detergere Pallâ
Occiperem; & verbis cœleſti nectare plenis
Mulcerem miſeram, mœſto dulciſſima collo
Oſcula deponens, precibúſq; extundere cauſas
Inſtarem luctûs: ſat lamentante Camœnâ
Mœſtitiæ cauſas & flendi ſemina promit.

Tu

Tu causas gemitúsq; Deæ cantante poësi
Mercuri, ad has defer rhetor doctissime Nymphas.

Pars trigesima septima.

Refert Mercurius causam lachrymarum fuisse quòd justitia Cajo Iudici libram forúmq; commiserit, multùm monens ut nec precibus nec violentiâ motus, sed tantùm pro rei meritis causas decideret, quod tamen Cajus non fecerit! Sed pro munerum gravitate dijudicaverit: & iterum monitus ut rei æquitatem magìs, & non munera inspiceret, arreptis auri & argenti globis, justitiam è foro propulsaverit & graviter vulneraverit: & hinc esse illas lachrymas.

ERgo Mercurius sic pergit pandere causas:
Sacra Themis Cajo lances, urnámque forúmque,
Et sanctos gladios, trutinas sortésq; sacratas
Omnes crediderat, totum dederátq; tribunal.
Addiderat decies: Rhadamante industrie libras
Sic cautus tracta, poscunt ut pondera rerum,
Ut meritum causæ, résque ipsa requirit & urget:
Non ut fulgentis blanditur gloria doni.
Addiderat decies: sin adversarius arcum
Auratum laxet, volitémq; argentea tela:

 Téque

Téque petat forsan suavissimus ille Gradivus:
Eripe te fili, ne fulgentissima pestis
Perstringat visus, multo minús intima cordis
Auratum penetret virus: periisse per illum
Nummatum Martem, fili, mihi crede, ruina est,
Quam fleat æternis justissima nænia lustris.
Addiderat decies; mi dilectissime Minos,
Quod si fortè suas pietas, lachrymata querelas:
Ploratúmq; imbrem, suspiria fletibus uda,
Roréque de salso stillantia vota, precésq;
Immiscere urnis vellet: tu pellere tales
Coneris pietatis aquas: solísq; memento
Causarum meritis nostras permittere lances.
Addiderat decies: quòd si violentia fortè
Ense tonet, furiásque vomat, vel fulminet igne,
Téque tuásq; urnas hac tempestate lacessat:
Intrepidus persta, rigidos imitare colossos:
Immotus lances, spartam tueare forúmque.
Et licèt omne nigro spectrum prorumperet orco,
Tentarétq; tuum tibi convulsisse tribunal:
Sis petra, sis cautes, sis immutabile marmor:
Nec latum moveare pilum: defende Gradivo
Magnanimo libram, & tibi quas commisimus urnas.
Addiderat decies: meus est mirabilis ensis:
Si justè libras: acies tibi sancta triumphos
Et lauros affert: ast exitiale sepulchrum
Injustè libratus habet. Memor esto meorum
Dictorum fili, potior sit palma cupresso.
Ast silici cantata fuit bona fabula surdo.
Accipit argenti corruptus pondera Judex

Dona-

Donatúmq; auri magnum radiantis acervum.
Illa super Themidis pecus exitiale bilances
Fulgida dona locat trutinámq; hac mole fatigat.
Ipsa bilanx tremuit: fulvum sacrata venenum
Libra tulisse negat: sed pestem ferre coacta,
Et rubet & pallet, totóq; in margine sudat.
Degener ast judex largo stultissimus auro,
Figit inauratæ cupidissima basia pesti:
Fulgidáq; amplexu stringebat amante venena:
Et demum ridens inquit, carissime Plute
Quin tibi tam streperam placeat decernere litem?
Quid ni præclarum meritus fuit ille triumphum,
Hoc rixante foro: qui tam regale ferebat
Munus, & auratis pactoli è gurgite spumis
Prodigus implevit libras, urnásque, domúmque.
Pro causæ meritis satìs hic suppleverit imber:
Fluctus is auratus claro desumptus Hydaspe
Eluet, excutiet vitium quodcunque clientis.
Et quæso, adversæ victoria quomodo parti
Occurrisse potest: currum dum q) sumine nullo
Hæc pars imbuerit: dum nullo munere sacrum
Aurigam impulerit: nec equis donârit avenam.
Ast cerne ùt noster certè meliore caballos
Excitet arte cliens, scuticis, lorísque, globísque
Calcariq; urget puro radiantibus auro:
Fert sua dona Deæ, fert plurima prodigus æra:
Quâ demulcetur dulcis victoria dote.
Ergo lares hujus plenis victoria rhedis
Involet, auriferis quam prudens emit arenis.

Sic

q) Sumen, idem quod adeps.

Sic ludens dixit, palmámq; adjudicat auro,
Ait ſacrata Themis rurſus monitura clientem,
Quid facis, ajebat, Minos magìs inſpice Cauſas:
Inſpice, quid res ipſa velit: quid crimen & inſons
Vita petat, ſtudio judex meliore require.
Ille iterum riſit, Themidem luditq; monentem:
O diva? exclamat mentem mihi faſcinat aurum;
Faſcinat abreptos argentea peſtis ocellos:
Ut nimis auriferis cupidè ſpatientur in agris:
Et tantùm in fulvis carpant ſua gaudia pratis.
Quin lippâ ſanie mihi palpebra languida ſtillat:
Atque hebes eſt acies, cæcutit morbidus r) hirquus.
Nox vicina mihi eſt, dum nil in lumina maſſæ
Incidit auratæ, nec fulgida munera ſplendent.
O Themi, parce precor: ſcelerum portenta videre,
Palpebra ſubtilis neſcit: rumpetur ad iſta
Monſtra nimis tenuis miſeri pupilla miniſtri.
Quin oculos ſervare meos Aſtræa licebit.
Sic ille illudit, Themidíſq; hortamina fallit.
Sed Themis inſtabat rurſum; vah! perfide Minos
Inquìt: tu pondus cauſæ, non fulva metalli
Pondera ſpectabis: tractabis juſtior urnas.
Illa tamen Themidis nimis exhortatio pungit.
Ira ardet judex: ſævit velut effera s) Thyas
Argentíq; globos, & fulvi corripit auri
Ille manu maſſam, jactâq; hac grandine, & illis
Ex auro ſaxis ſanctam ſtatione foróq;
Expellit Themidem, frontémq;, genáſq; latúſq;
Vulne-

r) Hirquus, angulus ocularis. s) Thyas lymphata, Bacchi miniſtra.

Vulneribus frangit: tantùm non enecat hydrus.
Hinc Astræa gemens tremulam super anxia rupem
Plorabat grandi sua plurima vulnera luctu:
Illa nec horribilis patitur solamina clades.

Pars trigesima octava.

Conqueritur Iupiter, pluribus ad Albim locis Iustitiam fuisse vulneratam & foro pulsam, idque aureis semper & argenteis globis. Solatus fuit Themidem, & iniquis judicibus extrema omnia minatus.

MErcurius tacuit: mox sic Saturnius infit.
Nec Dea sacra foro tantùm propellitur uno
Ad ripas Albis: multis est curia Nymphæ
Clausa locis: soliisq; Themis dejecta forisq;
Est variis: rutili semper de glandibus auri
Argentiq; globis veteri propulsa penate
Insuper inflictis quoque pectus saucia plagis
Et prope fulgoso moritur mea Nympha sub imbre.
Ast ego judicibus millenum fulmen iniquis
Cladémq; extremam brutis monstrisque minabar.
Astrææ tamen ante suas hoc pollice nostro
Absterli lachrymas: divinis vulnera pallis
Obduxi & factum jussi coalescere vulnus:
Erexique animos: ægram solamine multo
Demulsi mentem, forti præcordia Divæ
Spe communivi: sanctè juvisse spopondi.
Atque iterum dixi: portenta injusta cremabo

Vindi-

Vindicibus flammis, comburam sulphure Lethes:
Totus ut attonitus mea sæva tonitrua mundus
Obstupeat: pœnæ quivis exempla tremiscat.
Et vos credo Deæ manibus Jam prenditis omnes:
Quàm justam effudi super astra tonantia bilem.

Pars trigesima nona.

Asserit Mercurius se tantùm scelera publica, & eorum modò aliqua attulisse.

AST hac in scenâ, pergit Cyllenia proles,
Crimina proposui tantum modò publica Nymphis.
Quæ nocte abstrusâ, nemoiísq; silentibus umbris,
Quæ gremio cellæ, subtérq; († fabagine caulæ,
Quæ spissis latebris, specorísq; foramine nigri
Impietas latuit: per nostra silentia texi:
Publica concinui: quorum seriémq; genúsq;
Omne nec adduxi: patula de sorte mephitim
Ingessi modicam: quòd si, quæ crimina vidi
Singula, in hoc vellem coram statuisse theatro:
Haud vos ingentem possetis ferre cloacam:
Horror concuteret cœlos: titubaret Olympus:
Deliquium Nymphas fatale ad monstra necaret.

Pars

†) Fabago, stramen fabarum.

Pars quadragesima.

Narratis his scelerum monstris Iupiter gravi iterum irâ accenditur, & tractui Albis extremam rursus cladem totus furibundus minatur.

SEd non dissimulo, pergebat Jupiter, istud
Mercurius scelerum retulit dum fusior agmen:
Atque hæc nativo pinxit portenta colore:
Rursus in accensis furit igneus impetus extis;
Ira iterum grandis mihi perculit ilia, & omnes
Inflammat venas. Vix tempero flammeus æstum.
In pœnas rursum rapior, tormentáque mille:
Queîs Albis tractum tandem justissimus ultor
Exscindam penitus, scelerúmq; immane barathrum
Ex imo vertam fundo: fœdæque cloacæ
Umbram nec modicam patiar remanere per orbem.
Ira urget fulmen, poscitq; tonitrua centum
Abripit ad cuneos dextram, flammásq; vocari
Imperat: atque Albis tractum flagrante procellâ
Mergere: & hoc spatio tandem monumenta furentis
Erexisse Jovis: toti exemplaria mundo
Vindictæ posuisse meæ, scelerisq; severè
Puniti, in mediâ fixisse emblemata gente
Estuo, flammesco: mea transilit ira lupatum
Amplius haud mémet teneo: ferus incubo terræ,
Terræ illi, nostrum quæ se diffundit ad Albim:
Atque ibi terribili scelerum genus omne sub alvo
Nutrit;

Nutrit: & est nostris terra invisissima cœlis.
Da Vulcane ignes: da centum busta caminis
Rapta tuis: cuneos, flammantia fulmina velox
Ingere in hanc dextram: tempestatésq; flagrantes,
Flammarúmq; globos, & quæ furit ignea pestis
In fornace tua, vel plenis sulphure caulis,
Affer: nam grandis furit ilibus omnibus ira,
Omnes excedens metas, frænósque *x*) lupósque
Rumpens, excutiens. Flammas & fulmina posco
Justa ira est, justa, & meruit sceleratior Albis
Turbine flammivomo in cineres fumúmq; cremari.

CAPUT quartum.

Cœlestes Nymphæ Jovi irato supplices hoc impetrant: ut tam diu contineat iras, & fulmen, usque dum Deas loquentes audiverit.

Pars prima.

Omnes iterum Deæ hoc Jovis furore vehementer terrentur.

JUpiter irato dum sic trux intonat ore,
Intremuere Deæ rursus: gelidùsque cucurrit
Per vultus sudor, qui toto corpore stillat.
Pallas arundineo titubare simillima *x*) junco

Inci-

x) Juncus, est arundo.

pit, & fatis velut esset Juno propinqua,
tremit, & nutat, centúmq; coloribus ora
nutat, subitò collapsurámq; putares

Pars secunda.

*no tamen sororis & conjugis titulis confisa.
Iovi in dextram involat, eámque amplexu tenet, & mulcet.*

Uno tamen titulis confisa sororis, & almæ
Conjugis, excussos animos modicúmq; vigorem
ollegit rursus, sese illi immittere bello
udet, & ardentem tentat cohibere monarcham:
ut aliò cuneos tortásq; avertere flammas:
el saltem lenire morâ: Jovis ergo furentis
nvadit dextram, cubitos super oscula ponit,
Amplexu stringit, blandâ dulcedine radit
Palpans, & suavi mulcens blanditur amore.
Jupiter indignans; quid vis tibi Juno? quid audes?
Juno tonaturos mihi tu permitte furores.
In scelus ira furit: cuneis fregisse trisulcis
Tento scelus. Certè Jovis hæc incendia justa
Sunt Juno. Cursum bello, cursúmq; vibrandis
Ignibus indulge. Cur omnipotentia frænas
Brachia? & incepto pones obstacula Marti?
Juno tamen pergit dare mellea basia dextræ:
Unguere roranti plectentia brachia fletu,
Jaspida jam digitis jam ponere pollice gemmam,

Frendentésq; iras omnem mulcere per artem.
Vis in blanditiis ingens muliebribus hæret.

Pars tertia.

Juno orat, ut tam diu saltem iras & fulmen differat, donec Deas loquentes audiverit.

DEmum sic facilis post blandimenta perorat.
Absit ut summum teneam Deorum ;
Ablit ut frænem cuneos furorum :
Hæc scio, nunquam fuerit meorum
sparta laborum.

Fulmen & flammas jaculare quando,
Est Jovi certum : scio, non amando,
Non perorando queo te tenere,
non cohibere.

Hinc moram tantùm modicam precamur
In tuis bellis : tibi sin amamur
Da moram parvam : Jovis antè dira
quàm furat ira.

Sæpe quod fulmen subitum vibratur,
Irritum tendit : melius tonatur,
Quando tempestas meditata sævit,
tardiq; crevit.

Ergo Junoni tribuas precanti
Hoc pater solùm : rabie volanti
Ne furas præceps : feriátq; vestrum
tardius œstrum.

Audias

ias Nymphas prius alloquentes:
uis Divis aperire mentes
: super bello, sine, Rex tuarum
gemma Dearum.
llias sensus, placidúsq; voces:
tea intorque cuneos feroces,
libet: quo vis furibundus igne
infreme digně.

Pars quarta.

Iupiter moræ spondet: modò pro fœminea consuetudine non sint nimis fusæ.

AT bene, tunc infit trepidanti Jupiter axe:
Sat bene, paulisper mea prælia flammea cessent.
lmineos ergo modicè suspendimus ignes.
d vos discursum non extendetis in horas,
imus, quas fauces, aliquando fœmina solvit,
ifficilis claudit; toto sat garrula mense.

CAPUT quintum.

Dearum argumenta pro Jove mitigando.

Pars prima

Affert Juno non modò ad Albim sed etiam alibi hæc scelera reperienda! cur ergo solus Albis luat?

ERgo iterum dulci sic conjux carmine Juno
Instat: & ambrosiâ replet melligine versum:
Frater & conjux peramande vive,
Vive ter felix: tibi fata Divæ
Optima exoptant: mera festa plaude,
æthere gaude.

Busta quid soli mera machinaris
Insolens Albi? & toties minaris
Quod teres Albim gelidum bibentes
fulmine gentes.

Accola hic solus scopus est furorum:
Hoc genus tantùm feriunt tuorum
Bella telorum: sit ut Albis unus
flebile funus.

An putas Albim violare tantùm
Jussa cœlorum? genus esse sanctum
Alterum mundum? scelus unde pulsum
atque revulsum;

Albis an solus tenet heluones?
Ebrios zytho gremium gulones?
Qui scyphis plenis celebrent agones?
ore y) Milones?

An

y) Milo, homo fortis.

ı Venus tantùm dominatur unam
his ad ripam ? Cypridósque prunam
ıtiunt iſtic modò grex ſenilis
& juvenilis ?

ıne commiſſis nimiùm ferinis
lus eſt Albis reus à rapinis ?
lus à technis celebris doloſis
inſidioſis ?

ıctitas nunquid reliquas vigebit
la per ripas ? alios tenebit
rdines virtus, ſua dans ubivis
jura cuivis ?

:or eſt ; iſtud tibi ſi videtur.
a quin virtus pia confitetur
ɔe quod regnis aliis fugetur,
pene necetur.

ıctitas, candor, pietas gemiſcunt
ɔe ſub plantis alibi : fatiſcunt
ɔe ſub ſannis : fugiunt abactæ
nauſea factæ.

ſimul certè reliquis in arvis
ıltiplex crimen : poſitíſq; larvis
ɔerans iſtic renuit tuorum
fræna polorum.

;o cur Albis luat unus ille ?
r feret ſolus tua tela mille
m nefas nullum reliquas ad undas
fulmine tundas.

Pars secunda.

Jupiter hâc Junonis oratione offensus, respondet primò: se nunc lustrâsse tractum Albis, & reum deprehendisse: ubì alias orbis partes etiam aliquando lustraverit, & reas invenerit: sciturum se, quid sit faciendum.

UTque hos à solita fartos dulcedine rhythmos
Mellea declamat Juno: immortale movebat
Jupiter offensus caput; atque huc versus & illuc
Frontem corrugat: torva induit ora severus
Et tandem tales multùm jam turbidus affert
In medium versus: Junonem stringit acuto
Carmine, mellitam mordet sarcasticus odam.
In toto vultu Juno pallétque rubétque.
Quid blateras inquit? quid nostra intrudis in ora
Horrida pérq; alium dominantia crimina mundum
Et sceleris plenos aliâ tellure triumphos?
Albim lustravi, nunc nos inspeximus Albim;
Hunc tractum, has oras excussimus: húncque per orbem
Occurrit toties stygio damnabilis ore
Impietas, furvúmq; scelus, totóque venenum
Districtu fundens, pestémq; per omnia spargens.
Tempus erit quando quoque cætera regna sagaci
Ingrediar visu, strictóq; examine lustrem.
Ast nunc spumosum fueram explorator ad Albim:

...im nequitiæ ſedem ſcelerúmq; cavernam.
... etiam reliquo deprendam crimen in orbe,
...m quo cunco frangam, bene ſcivero, mundum.
...nc Albis caput eſt, ſtygio quem crimine plenum
...dimus, & meritos cui nunc accendimus ignes.

Pars tertia.

...undò reſpondet Iupiter: dato, etiam alibi ...gnare ſcelera, per hoc Albis non deſinit eſſe ...pius: neque ſcelus per hoc fit virtus, quod ...vum ſcelus priori ſceleri jungatur: neque ...hiops per hoc fit albus, quod plures ad il... ...m æthiopes accedant: neque fimetum per hoc z) paſtillos olet, quod novam illi cloacam addas.

SEd demus, pergit ſtellati Numen Olympi,
Demus Junoni; reliquis quod crimen in agris
...endeat; & dominos gyret circum undique faſces,
...unquid propterea jam deſinet impius eſſe
...lbis? & auguſtâ ſtabit virtute decorus?
...emus, quòd Rhenus, quòd Mœnus, & Iſter & Hebrus
...iter corruptas etiam ſua crimina ſpumas
...olvant, & varias fundant per jugera noxas,
...unquid propterea, Juno, clariſſima virtus
...t pietas ſacrata tuum complectitur Albim?
...tque inſons fluvium candor populúmq; coronat?

z) Paſtillus, boni odoris globulus.

Si putat hoc Juno nimiùm Jove diſſidet uxor.
Ad ſcelerum primas dilatatáſq; phalangas
Junge novas ſcelerum, Juno prudentula, turmas:
An jam prima phalanx fœdo non ampliùs ore
Proſtat? & atrati non eſt emblema Charontis?
An prima impietas jam facta eſt, ſplendida virtus?
Cujus grande jubar radianti fulguret aſtro?
Æthiopem æthiopi mea Juno dicacula junge:
Nunquid jam primo è piceâ fuligine monſtro
Nix & ebur candens ſuper ora vetuſta ſedebunt?
Candida num veterem coment jam lilia vultum?
Et ſubitò in niveum corvus tranſivit olorem?
Appoſitæque ſtupet ſociæ nigredinis artes,
Unde fit extemplo primæva monedula cygnus?
Pone iterum: fœdam ructet ſpelunca mephitim:
Aëreum latè putridis humoribus orbem
Terreat: & nimbis malè olentibus undique pellat
Alituum pecudúmq; greges, armentáq; ruris,
Nunc aliam Juno primæ conjunge latrinam:
Nunquid propterea paſtillos prima cloaca
Spirat? & optatos Pæſti fragrantis odores
Exhalat? num thure novo mirantia complet
Jugera? & heſternâ pulſas à peſte volucres
Jam revocat? paſcitq; novo nunc agmina vere,
Et mirabundo teneras ab aromate nares?
Non certe, Juno, ſtercus *a*) ſuccerda manebit,
Mille licet jungas ad fœda fimeta ſaburras:
Et ſemper vultûs erit æthiopiſſa nigrantis,
Mille velis atras quamvis adjungere larvas:

Crimen

a) Succerda, ſtercus ſuillum.

Crimen erit crimen, ſcelerum licèt agmina jungas.
Hoc argumento necdum mala cauſa patronam
In Junone habuit. Fateor tua carmina nectar
Et mel ſpirabant: deerat prudentia Muſæ.

Pars quarta.

Tertiò reſpondit Jupiter: demus, etiam alibi regnare ſcelera, num ergo propterea debemus cohibere iras, quòd major ſit ſcelerum cumulus? num hortulanus ideo á zizaniis evellendis manum arcebit, quòd major jam ſit quàm ante lolii copia? num ideo aquas negliges, quod jam major flamma è domo ardente erumpat? certè ipſa flammæ amplitudo urget aquas: ipſe lolii major cumulus manum & raſtrum hortulani vehementius provocat: ipſe ſcelerum numerus per acceſſum novorum ſcelerum, alibi regnantium, jam multò major, etiam vehementius urgebit fulmina.

SED demus rurſum: reliquum quod multa per orbem
Impietas dominata fremat, grandique triumpho
Exultabundos celebret per jugera plauſus,

Plena illis Regina locis. Num grandior ergo
Dum surgit scelerum cumulus, pluresq; veneno
Districtus & regna necat, cohibere vel ipse
Debebit cumulus pœnales fulminis ictus?
Itaque jam tantò leviore efferveat igne,
Quantò plus scelerum, plures rupto aggere campos
Invadit? pluresq; suis de sordibus orbes
Obruit exundans, fœdáq; putredine mergit?
Quæ quæso eversæ foret hæc sententia mentis.
Justius est fulmen, mea vindex justior ira,
Quò sunt plura suum spargentia crimina virus,
Credo, plura suos zizania quando per hortos
Surrexisse videt Phorbas, lolióq; frequenti,
Et crebris tribulis tristes sylvescere campos:
Non ponit rastrum, palam non abjicit inter
Dumetum frutickésq; suam: ferventior instat
Urticis: Lolio raptis magis incubat armis:
Quò plus invisi per campum surgit abortûs,
Ipse ingens Cumulus vocat in certamina dextram,
Accendit celerem vellenda in peste laborem.
Flamma ubi per plures erumpit in æde fenestras,
A fronte à tergo miseros populata penates:
Jam reor Ucalegon non differt languidus undas,
Vulcaniq; necem: sed tantò largior imbres
Oceanú nque rapit, flammæq; immittit edaci;
Quantò plura domos incendia dira vorabant.
Ipsa urgebat aquas flammarum turba, malóq;
Exposcebat opem, restinguentésq; procellas.
Ignibus atque iris tentas affundere nostris
Juno oleum: scelerum numerosas quando catervas
Alte-

Alterius mundi, numerosa ad crimina jungis
Albis: & accumulas primum per crimina crimen.
Incentrice tua magis ardeo Jupiter odâ.

Pars quinta.

Quo mordace Iovis responso puncta & offensa Iuno, brevissimè respondet: ergo omnia crema.

AST Juno pungens metrum, dentémq; perosa
Rodentem, variósq; suo de conjuge morsus,
Indignata, inquit sermone laconica curto;
Ergo jam totum quate, verte mundum;
Nam tenent cunctum numerosa fundum
Crimina; hæc pestis stygis est ubivis,
cara cuivis.
Mox contemnenti similis, caput effera jactat
Retro in cervices, modicísq; ad labra madescens
Spumis, internas adiit velocior aulas.
Iris immiscet murmur; strepertísq; querelis
Incendit cœlos: sarcasmis pluribus icta,
Plorabat rigidi dentes morsúsq; mariti.

Pars sexta.

Respondit severior Iupiter quod si aliæ mundi plagæ fuerint quoque scelestæ: pœnam quoque sunt meritæ: nec se dicturum nunc, quo fulmine concussurus sit reliquum orbem, si illum

lustrans

Lustrans deprehenderit impium. Meminisse adhuc omnes cataclysmi, quo olim universum orbem inundaverit, sola Pyrrhâ, & Deucaleone servatis.

JUpiter à torva tunc majestate timendus,
Voce gravi, gestúq; acri, phrasibúsq; severis
Pomposóq; metro; sic ora austera resolvit:
Certè si toto bachantia crimina mundo
Imperium regale tenent: si squalet in atro
Exilio virtus, & ibi sua vulnera plorat:
Meme fulmineum poscunt hæc fata monarcham:
Poscunt, ut jactis exuram singula flammis:
Aut alio frangam crimen commune furore,
Et sin inspector reliquum discussero mundum;
Atque illo regnans deprendero crimen in orbe:
Juro: non noster vindex defecerit æstus,
Nec nunc edico: quo tunc ego turbine terras
Sim concussurus, quo vindex igne futurus.
Scitis adhuc, credo, tremulum quo vortice mundum
Olim submersi, pelagi quo Marte necavi:
Quando Pyrrha fuit, modò Deucaleónq; superstes,
Quos mea sollicitis, inter mera funera curis
Servavit pietas: jussíq; adolescere in amplos
Et tales ramos, quorum sanctissima virtus,
Parva foret nostri merces aliquando favoris.
Parcere, & ingenti novi tonuisse procellâ,

Pars

Pars ſeptima.

Pallas ſuaviſſimè rogat loquendi licentiam, quam facilè à Iove impetrat.

INterea Pallas ſuavi facunda lepore,
Aggreditur rurſus motos componere fluctus.
Ambroſiam promit Nymphe ſuaviſſima Muſam.
Sic ait, & mulcet turbatum carmine Numen.
Care divorum pater, atque grande
Gaudium cœli, ſuperis amande,
Omnibus rector, jubar axe verum,
vitáque rerum,
Si licet veſtræ minimæque ſervæ,
Si licet metro modico Minervæ,
Hoc ſuper motu ſua ſingulari
ſenſa profari:
Eloquar totam ſine fraude mentem,
Et ſinum cordis reſero patentem:
Accipe: & miti mea, quæſo ſenſa
pectore penſa.
Annuit omnipotens, iterúmq; modeſtior infit:
Prome Minerva tuos germano pectore ſenſus,
Scis Nymphis noſtras indulſi Jupiter aures,
Indulſi fandi veniam. Modò viſcere Numen
Excute: & in medium produc arbitria Pallas

Pars octava.

Pallas ergo affert: Zythum sive cerevisiam esse modò aquam hordeo & b) lupulo coctam, exigui pretii, quâ plebs se recreet, sudores & tædia abluat: non videri sibi ad coctam aquam uno alteróve asse parabilem, esse ita irascendum & fulminandum.

ERgo verecundo vultum perfusa decore,
Suavibus his rhythmis Pallas facunda perorat.
Videras haustis lepidam lagenis
Rusticam gentem celebrare plenis
Saltibus, ruri bibulos furores
mille lepores.
Orgia hæc plebis generosa lætæ,
Ludicris multùm salibus facetæ,
Nauseæ cœli domino fuêre,
displicuêre
Sed tamen supplex ego Pallas oro,
Téque quàm possum reverens adoro:
Cogita quænam fluitent in illis
nectara villis.
Ligneis obbis mera lympha spumat,
Que priùs multo súper igne fumat,
Hordeo agresti coquitúrq; misto
fortis ab isto.

Hanc

b) Lupulus, herba est, quæ solet aquæ, in cerevisiam coquendæ immisceri.

Hanc aquam potant, abigúntq; curas
Hâc vices vitæ generísq; duras
Diluunt undâ, ſoliúntq; toti
flumine poti.
Hoc ſuos ungunt fluvio labores:
Hâc aquâ mergunt veteres dolores:
Ruſtica hoc ſucco relevant aratrum
agmina fratrum.
Hic liquor coctus! vetus eſt c) malagma,
Unicâ forſan duplici've drachmâ
Venditum plebi, leve tædiorum
plaſma ſuorum,
Feſſa cùm Dipſas Coridónve ſtivis
Aut d) ſatis e) ervo rediêre clivis,
Imbre vel largo veniunt madentes
& prope flentes,
Fluminis cocti tria ſéxve vitra
Ebibunt triſtes, veteri'q; f) chytrâ
Hauriunt zythum, reſonántq; trullis
atque culullis.
Hic latex illis abigit pavorem:
Lenit antiquum líquor hic dolorem:
Spiritus donat; relevat jacentem
amphora mentem.
His ſuas curas tumulant ſub undis:
Dúmque fit venter calidus, ſecundis
Fata jam currunt variata rivis,
fauſta cuivis.

Quæque

c) Malagma, emplaſtrum. d) Satis, à ſerere. e) Ervum, frumenti genus. f) Chytra, idem quod olla.

QUæque ruralis modò turba flebat;
Questibus toto stabulo gemebat,
Læta jam ridet, salibus jocosa,
sat generosa.

Illa sub tectis bibulis palæstrâ
Cur manu debet periisse vestrâ?
Cum tamen genti mera cocta festum
unda det æstum.

Ista cur quæso genialis unda,
Unde sit tantùm casa ludibunda,
Opprimi debet tonitru boante,
igne tonante?

Ergo tam magno miseri lagenam
Hordei elixi, laticísque plenam
Rustici solvent? pereant ut illæ
fulmine villæ.

Non ita iratus tonitru cruento
Incuba vindex modico fluento,
Hordeo cocto, *p)* lupulíque flori,
gentis amori.

Pars octava.

Respondit Iupiter hâc cerevisiâ seu coctâ aquâ transformari homines in bruta: & cùm sit exiguo parabilis, pœnam vehementiùs urgere, ne crimen invalescat, utpote modico parabile. Circes poculum non fuisse minùs scelestum quod exigui pretii succo Vlyssis socios in bestias converterit.

Ut-

p) Lupulus, herba qua cum coquitur cerevisia.

UTque Minerva suis cessavit ludere rhythmis,
Jupiter arrisit: totâque in fronte serenus
Excipit his Musam dictis: vis ergo Minerva,
Quod choreæ, plausus, bacchabundíq; furores,
Hæcque cachinanti, quæ frendent orgia rure
A coctâ nascantur aquâ, lupulíq; maniplo,
Et Cerere immixta Thetidi: quod nectar aquosum
Phorbanti lasso sit in asse parabile bino.
Sat bene: confiteor: vestris assentio metris.
Hoc cocto fluvio trullis agrestibus haustto
Bacchica terribili surgunt festa illa triumpho.
Res ipsa est. Tripodis prompsisti oracula Pallas,
Sed simul hoc unum nova nostra Sybilla memento;
Dum tuus hic coctus per cymbia plurima rivus
Rustica dulcisono descendit in ilia lapsu,
Tum vapor ascendit: cerebrum petit humida nubes,
Turbat & evertit lassæ capitolia mentis:
Naturam frangit: veterémq; hæc ebria pellit
Obba hominem: primam vix linquit in ore figuram,
In brutas pecudes, porcos, ursósq; canésq;
In tauros hominem lupulosa hæc crapula vertit.
Sacra nigri fratris fuerint mihi flumina testes
Nuper ubi hoc cocto temulentam Dipsada succo
Sordibus illapsam ronchizantémq; videbam,
Credebam totus, putri mugire latrina
Porcinum brutum: quin lusus imagine dixi;
Sus olida è putri demùm consurge mephiti:
Insulsum fræna murmur: mihi sauciat aures
Ille tuus bassus streperúsq; in stercore ronchus.
Jámque pedem pecudi divinum illidere tento:

En tibi Dipsas anus fuit hoc grunnibile monstrum,
Dipsas anus zytho tumidum nimis ebria ventrem
Sus mihi visa fuit, quam cocti fluminis œstrum
Et lupuli virtus ascendentésque vapores
Antiquo exuerant homine, induerántq; suillo
Et putri bruto, fœdóq; per omnia monstro.
Sed tibi jam demus: quod fascina talia parvo
Componi possint, duplici fors asse paranda:
Dum tamen hic modico succus tuus emptilis ære
Progenerat prægrande nefas, hominémq; priori
Eripiens homini brutum modò putre relinquat:
Tunc aqueum philtrum fortasse parabile nauci
Supplicium vindex castigantésq; lacertos
Avertisse nequit: potiùs mea fulmina poscit:
Ne scelus invaleat, cunctúmq; exundet in orbem
Est homini quando modico patrabile sumptu.
Fit citò communis, vastosq; effusa per agros
Mellea dulcedo, genti quando incipit esse
Obtentu facilis, nec quicquam postulat auri.
Pocula Ulysseis quæ Circe acherontica servis
Præbebat, vili spumabant omnia succo,
Quem nummi pretio scelerata paraverit hydra.
Cùm tamen hoc parvum modico in cratere venenum
Ex homine antiquo bruta insperata creârit:
Jam Circe immensam fabricaverat impia crimen,
Crimen terribili dignum de fulmine frangi.
Sic pariter lassus veniens à vomere Phorbas
Dum trullis haustis, modico quas emerat ære,
Evomat, excutiátq; hominem, formétq; lutosum
E Phor-

Phorbante pecus: Pallas, tua coctilis unda
ꝛtinxiſſe nequit noſtros, ſed provocat ignes.

Pars decima.

eponit Pallas nimis doctum eſſe Iovem: ut qui omnia energicè diluat.

AST à virgineo perfuſa Minerva rubore
Sic ait: & juſtas Jovis eſt confeſſa querelas.
e Jovem cerno nimis eſſe doctum.
umen evertunt tua metra coctum.
uin ego poſthac meliùs ſilebo
cyclada nebo.

Pars undecima.

edit Iuno ex ſacraſtico Iovis reſponſo acer-ior: aſſert quid velit fulmina laſcivus ad Albim intentare, cúm ipſe ſit laſciviâ plenus.

MOX Juno, ſtomacho quæ prima abſinthia
necdum
oncoxiſſe ſuo poterat, digreſſa cubili
: Jovis ante thronos iterum fratrémq; maritum
ſtit & elato turgens audacula collo,
ircumfuſa oculis, bilémq; in fronte rubellâ
œmineam monſtrans, varióq; ſevera rotatu
rotrudit curto ſua ſapphica carmina ſenſu.
ıcrepas Albim, quod ad hoc fluentum

Videras lenas habitare centum:
Multa quod rurij fuerit libido,
                    fœda cupido.
Fulmen hinc ultor rigidus parabis:
Patriam totam tonitru necabis.
Virgines vis hunc fluvium bibisse,
                    incoluisse.
Credo jam certè propriis cremandum
Te Jovem flammis. Quoties nefandum
Crimen admittis? nimium calescens,
                    sorde senescens.
Sed tuas sordes quid ego movebo?
Ne necet fœtor, potiùs silebo.
Orbis inspecti scabiem revelas
                    propria celas.

Pars duodecima.

Iupiter dissimulans offensum animum, modestè reponit: ibi esse verum scelus, ubi dominus & superior est, cujus jussa violentur: se esse ad Albim dominum: se populis ibidem dedisse legem, quæ lasciviam vetabat: quam sui superioris legem cùm Albis accolæ turpiter violaverint, penes illos esse verum scelus pœnâ dignum: se Iovem verò nullum habere superiorem: adeoq; quicquid fecerit, nunquam violare ullam sui superioris legem: per consequens quicquid fecerit non criminis sed libertatis innatæ esse exercitium.

Jupiter immotus, bilis dicteria temnens,
Placato vultu detergit cuncta, modestus
Et fortis rhetor: medio sese agmine purum
Sistit: & objectis sic sordibus abluit ora.
Juno, Jovis conjux, culpam quicunque patravit
Et verum crimen: meruítq; subire scelestus
Ultrices pœnas: vivit sub legibus ille:
Vivit sub domino: nolénsve volénsve lupatos
Majoris mordebat *h*) heri: quos ille rebellis
Contemnit, lacerátq; *i*) lupos: dominúmq; priorem
Excutit obstipus: libertatémq; secutus
Nec juga, nec dominum, nec heri data fræna jubentis
Impius agnoscit: rumpénsq; repagula currit,
Quà via, quà portæ, tenuis qua rima patescit.
Hinc scelus exoritur: quodvis damnabile crimen
Nascitur his cunis: crescit sub patre rebelli,
Matre reluctanti, dominum fræenúmq; neganti.
Jam cernes, Juno, quod verum crimen ad Albim
Regnet, & iratus cui rectè Jupiter ultor
Incubet, ignivomo noxas ut turbine frangat.
Me dominum gens illa tenet: magnúmq; Monarcham
Me dudum novit: summo mihi subditur istic:
Quisquis ibi vel Rex vel grex bibit hospitus Albim.
His populis nostrâ pro majestate supremâ
Ipse tuli leges: frænos Deus ipsemet ori
Injeci: fuerítq; diu mea cura, labórq;
Virtutis metis ibi circumscribere cunctos:
Limite honestatis totam concludere gentem:
Ne damnum & vastam post crimina plurima cladem

 Ipsa

h) Heri, ab herus. *i*) Lupus, frœni certa pars.

Ipſa ſibi inferret: libertatémq; nocivam
Ploraret ſero poſt funera triſtia rore.
Hinc decies dixi: procul hinc ſcelerata libido:
Impurum quicquid, totâ regione faceſſat.
In Veneris flammâ vitæ decoríſq; ruina
Certa latet; primo ſcintillam extinguere fumo
Eſto labor primus: pepuliſſe incendia rarum eſt,
Dum jamtum erumpunt plenis undantia gyris.
Candida virginitas & connubialis honeſtas
Regnet, & his Albis ſpargat ſua lilia ripis.
Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro rationibus ipſa
Utilitas gentis, populi ſacra gloria noſtri.
Me tamen abjecit populus, legéſq; refregit:
Inque ſuum damnum, indomiti pro more caballi,
Quò calor obſcœnus, Veneris quò furta vocabant,
Advolat: & vetitos ſequitur laſcivus amores.
Hinc habet hoc facinus culpam, criménq; ſcelúſq;
Et mea depoſcit ſceleratus fulmina turbo.
Me quoque nunc ſpecta, tibi ſi placet optima Juno,
Me ſpecta: & quis ſit major Jove, pandere tenta.
Dic noſter dominus quo cœlo agróve moratur,
Qui nobis leges, qui frænos indere poſſit:
Et clarum ingenitæ mihi libertatis honorem
Frangere major herus valeat. Vidiſſe Monarcham
Hunc ſane cupio. Produc mihi Juno tonantem
Invidioſa novum: Cœli hoc oſtendite Numen.
Ille gigas ingens, immanior ille coloſſus
Seſe jactat ubi? cœlóſq; Jovémq; ſupernâ
Cuſpide terrefacit, dum toto vertice ſupra eſt.
Scis, Juno, noſtri ſunt hæc regalia ſceptri,

Eſſe

Esse supra cunctos, nullius ferre capistrum
Vel juga, vel leges: sed libertate beari
Quam nullus major dominus, meliórve Deaster
Ullo unquam posito concludere limite possit.
Et cùm nec dominum, nec facta repagula legum
Nôrim: jam quodvis facinus sinè crimine nostrum
est:
Dum nullas frango leges, nulliq; repugno
Majori domino: sed nostro crimine solùm
(Si tamen est crimen) tunc libertatis avitæ
Sector opus, sectérq; merum inculpabilis usum.
Hinc quando nostris donavimus oscula Nymphis:
Abfuit omne scelus: fuit ille amplexus amoris
Ignarus culpæ, nullo damnabilis igne
Fulmineo, nullas læsit quia flammula leges
Majoris domini, cujus neque fregit habenas.
Et jam scis, Juno, cur verum crimen ad Albim
Regnet, & à nostris tamen absint crimina factis.
Si mutire potes contra nasutula Nymphe
Fac modò: plena tibi fuerit data copia fandi.

Pars decima tertia.

Iuno confusa & morosa illud solùm reponit, Iupiter vult semper esse innocens.

JUno sed auratis illapsa sedilibus, almum
Sustentans cubito caput, ore laconica fatur
Scivimus dudum: tua facta doctè
Semper excusas, Venerisq; nocte
Exiens, velles niveus videri
castus haberi.

Pars decima quarta.

Latona modestissimè affert clementiam esse Regum gloriam: velit parcere tractui Albis sed reponit Iupiter, etiam justitiam in sceleratos esse Regum gloriam: & cùm subinferret Latona, continuum justitiæ rigorem degenerare in tyrannidem: excipit Iupiter, perpetuam clementiam in segnitiem & ignaviam prolabi.

MOX surgit Latona toris, pulchròq; roseto
Picta genas, talem sistebat in æthere Musam
Jupiter magni moderator orbis,
Semper in cunctis *k*) panacea morbis,
Vita Nympharum, columen tuorum
forte polorum:
Parcere afflictæ, miseræque turbæ
Gloria est Regum; pepulisse ab urbe
Asperos casus, ducibus decori
est & honori:
Hanc tibi clemens etiam faveto
Jupiter laudem. Gladium teneto:
Incolis Albis venias serenus,
lætus, amœnus.
Jupiter hanc tali retudit mox carmine Musam.
Justitiæ gladius fuit ingens, gloria Regum,
Semper: in ultrici post ausa nefanda securi

Toti

k) Panacea, medicina universalis.

Toti subjecto Rex est venerabilis orbi.
Ille rebellantis post sordida crimina vulgi
Si chalybem ponat: si fulmen nolit & iras:
Occurrat sceleri ridente serenus in ore,
Risus erit populo, gemi ludúsq; petulcæ.
Gratia virtutis, scelerum sunt fulmina merces.
Rex omni populo mitis velut obviet agnus:
Dum populus grex morigerus patienter adorat
Imperium regale ducis, totúsque laborat
Hujus ad allatas vitam componere leges:
Sed leo sit cæsar, crudo truculentus in ungue,
Fulmineis iris, & atroci sæviat igne:
Quando contempto plebs lascivire Monarchâ
Incipit, & veteres renuit mordere lupatos.
Jupiter ùt tacuit: tunc sic Latona subinfert:
Qui tamen semper tonat ense rector,
Ille erit certè nimis acer Hector:
Ille quin uno similis tyranno
fiet in anno.
Tunc sic cœlorum rector: qui fulmina nunquam
Torquet, & inflictis nunquam petulantia pœnis
Crimina castigat, Rex languidus audiet ille
Et segnis præses: semper cuî brachia Morpheus
Alliget, & tonitru ronchis umbratile tantùm
Murmuret. *Est veri Regis, ridere, tonare
Dum res vult risum: tonitru dum causa requirit.*

CA-

CAPUT ſextum.

Latona reliquæque Deæ, exceptâ moroſâ Junone, rogant Jovem ut ergò ſaltem inter puniendum ſit memor clementiæ, nec Albis tractum penitus evertat: quod etiam Jupiter in Dearum gratiam ſe facturum ſpondet.

Pars prima.

Rogat Latona ut ſaltem clementer Albim puniat.

ERgo his manſuetis Latona piiſſima rhythmis
Occurrit bello, minitatos temperat ignes,
Atque incumbentem lenit bona Nympha procellam.
Hoc velis ſaltem precibus tuarum
Jupiter clemens dare jam Dearum:
Nec velis durus pepuliſſe tota
flentia vota:
Ut quidem plectas: ſimul & benignus
Intones princeps, aliquódq; pignus
Gratiæ linquas. Fure diligendus
& metuendus.
Albis infauſtas glacialis oras
Ne ruas planè: neque tot decoras
Diruas urbes penitus tonando
& populando.

Pars secunda.

Idem supplicant reliquæ Deæ omnes, ùnam si Iunonem morosam exceperis.

VIX ea finierat: cùm tota caterva Dearum
(Excipe Junonem solam) fit poplite flexo
Supplex, & fletu divina per ora ruente,
Elatis palmis, & prono pectore clamat:
Ergo castiga pater æviterne:
Nec tamen flammis genus omne sterne.
Incolas Albis quoque tunc amabis,
quando tonabis.

Pars tertia.

In Dearum gratiam spondet Iupiter: ita puniendum tractum Albis, ut clementia non absit.

ERgo prostratas *l*) asarota per aurea Nymphas
Jupiter erexit: niveis sua brachia collis
ıjicit: impositis donabat basia labris:
emulcétq; Deas jam mansuetissimus agnus.
c faciam, dicit, totum deponere patrem
unquam decrevi: miscebo absynthia melle,
iscebo spineta rosis, & amore furores.
on odium sed amor reget omnem fulminis ignem.
ɔc votis lachrymísq; dabo, mea corcula vestris.
Albis

l) Asarotum, pavimentum elegans.

Albis in inſpecto natitantes gurgite noxæ
Expoſcunt cuneos, puniturúmq; tonantem:
Poſcitur à veſtro rurſum mea gratia fletu.
Ad plagas igitur clemens medicamina jungam.

CAPUT ſeptimum.

Jupiter per Mercurium jubet ut Neptunus & Æolus unitis viribus invadant vallos ad Albis látera erectos: multis in locis planè evertant: aliquot tamen locis integros reliquant. Inde ſe copioſa & furens aqua in agros effundat, eorúmq; magnam partem inundet: aliam tamen intactam relinquat: multam ſegetem non tamen omnem enecet: pecora plurima ſuffocet; multa tamen ſinat fluctus feliciter evadere. Caſas aliáſque ædes bene multas, non tamen urbes integras evertat. Homines circiter mille non plures perimat. hanc fore pœnam clementiâ mixtam.

Pars prima.

Mercurius accipit à Iove imperium modo dictam Iovis voluntatem ad Neptunum & Æolum afferendi.

Ergo

ERgo Mercurium vicinis evocat aulis
Jupiter, & celeri mandat se sistere cursu:
ﬁſſe, quod ad varias deportet bajulus oras:
le etiam linquens libato nectar in auro
dvolitat pernix, supplex solióq; Deóq;
ffusus, multo cœpit mandata tremore
xpectare Jovis, summi placitúmq; Monarchæ.
urge solo, soliisq; meis Rex Jupiter inquit,
:ectúsq; tui sacros Jovis accipe jussus.
:olum in immani recubantem rupe toparcham
ccedes, aqueúmq; simul super æquora Numen
eptunum invises, dices, hæc esse severa
ussa Jovis: fortes ad prælia martia vires
elligerasq; suas Rex jungat uterque cohortes:
e suos ventos, hic raptos æquore fluctus;
na acies, unum populo coalescat utroque
gmen, & unitis procedat miles in armis.
dstructos Albi vallos hic miles habebit
visos hostes, queis cladem & funera juret:
ujus & in grandi desudet ovare ruinâ.
:go hanc stercoream quæ nostrum surgit ad Albim
vadant molem; tundántq; hoc pegma lutosum
t veteris formæ maneat vix umbra superstes.
on tamen hæc vallos attriverit undiq; clades;
t satis, in multis hoc desævisse furenti
larte locis alibi stet salvo vertice gleba:
t tantùm costis aliquot data vulnera ploret.
t pietas sit juncta iris solamina plagis.
de gravi tractu vicina per arva procellæ
se diffundant: campis ceu spumea stagnent

Æquo-

Æquora: ut immensas gens exhorrescat ad undas;
Quæque Ceres natis assurgere cœpit aristis
Sternatur latè: spes hæc moriatur aratri,
Suffocetur aquis, monstrísq; sit esca marinis:
Sed tamen his furiis non omnis ubique necetur
Orta Ceres: multis undosa hæc funera campis
Sufficiant: aqueas aliquod rus nesciat iras;
Illæsæ surgant ibi flivæ præmia spicæ,
Exsaturétque sui bona messis vota coloni.
Sic pungo sic ungo simul. Qui fortè penates,
Quæ casa, quod stabulum, quod ovile, bovile, caprile
Æoliis atque æquoreis occurrerit armis
Sustineat furias & jussi fulmina Martis:
Non tamen evertet plenam trux impetus urbem,
Nec sternent totos hæc jussa tonitrua pagos:
Mixta est vindictæ tenuis clementia nostræ.
Obvia quæ fuerint armenta, tumultus aquosus
Obruat, & crudæ collidant bruta procellæ:
Glutiat effusus donec creberrima pontus:
Est decreta tamen multis hæc gratia brutis,
Ut superent fluctus, teneántq; natantia ripas,
Aut salvo in stabulis rodant præsepia dente.
Sic amo, sic plecto, sic aspera misceo dulci.
Quin homines hæc bella petant, pereántq; rotati
Turbine ventoso, vel aquoso Marte vorati:
Et demum discant fracti, timuisse minacem
Post pœnas & tela Jovem: sed circiter undæ
Mille vorent homines: salvetur cætera turba:
Nam comes irarum pietas. Hæc jussa tetrarchis

Æolo,

Æolo, & undarum domino velociter affer
Mercuri: ut hos populos hæc frænet pœna rebelles.
Dixerat: & clauso finita est scena theatro

Pars secunda.

Mercurius hæc Iovis jussa cum energicâ eloquentiâ affert primò ad Neptunum, quem invenit ludentem cum suis monstris marinis.

MOX alas humeris, plantis talaria jungit
Mercurius: nimbósq; secat pernicior omni
Fulmine, præcipiti multò velocior Euro.
Neptunum æquoreâ recubantem invenit in m) algâ
Ludicra cum brutis tunc ludere bella marinis:
Cogere squamosos celerem delphinas in orbem:
Decertaturos circo clausisse n) bisontes:
In sua retrogrados animare duella o) paguros:
Immanes cetos hos vivos æquore montes
Urgere in miros Tritonum ad cornua saltus.
Sic prope p) mirmillo numeroso bella theatro
Ludit, & artifici suspendens mœnia Marte,
Lauriger egregiis aufert encomia ludis.
Protinus undarum curvato Numen adorat
Poplite Mercurius. Mox sacratissima promit
Jussa Jovis Prosam facundi flore coronat
Eloquii: fluvidis & energica acumina verbis
Addit: & ingentem divino rhetora metro

Se

m) Alga, herba in aquis nata. n) Bison, taurus sylvestris. o) Pagurus, cancer marinus. p) Mirmillo, gladiator contra retiarium.

Se monſtrat: ſit ut hæc Regi facundia calcar
Atque ingens ſtimulus ſummo parere Monarchæ

Pars tertia.

Reſpondet Neptunus ſe libenter Iovis juſſa executurum: Expectare modò Æolium fratrem, qui ſi cum exercitu ventoſo ad aqueam palæſtram advenerit, ſe ſtatim re ipſa oſtenſurum, quàm ſit promptus Iovis famulus.

MOX venerabundo mandata ſacerrima nutu
De madidâ ſurgens algâ Neptunus adorat,
Semper divino promptus ſervire tonanti,
Quò rerum caſus, quò tantus in æthere Cæſar
Neptuni fluctus & aquatica bella vocârit.
Quin ait, inſolito ſaliunt mihi corda triumpho
Dum Deus ille meos exquiſiviſſe labores
Et famulaturum dignatur poſcere pontum.
Illud ſervitium fuerit mea gloria ſemper.
Nunc præſtolabor condictum in prælia fratrem.
Æolium: undiſonis qui ſi ſua martia campis
Agmina ventorum ſtiterit: jungemus uterque
Iras & vires, conjuratúmq; Gradivum.
Nec tantùm verbis, ſudabo oſtendére factis,
Quod mea méque Jovi promptiſſimus arma ſacrârim;
Vivat: in elyſiis, guſtet mera gaudia pratis
Jupiter: æternos ſaliat lætiſſimus annos:
Dignetúrq; ſimul ſuper axe manere minorum
Et pater & fautor tuteláque firma Deorum.

Pars

Pars quarta.

A Neptuno digressus Mercurius affert bene eloquens Iovis jussa ad Æolum sub ingenti fornice ventos exercentem.

UTque vale tandem post multa encomia dixit
Acclinis decies cœlorum orator, & ipsi
Oscula divino fixit postrema tridenti:
Concussit pennas, viam motis incutit alis:
Veloces superánsq; Notos, properabat ad aulas
Æolii patris: cœci sub fornice q) tophi
Rex hic murmureus recubat; ventosa strategus
Prælia disponit: Boream, Caurúmque, Notúmq;
Atque alios centum ventosa à stirpe nepotes
Dirigit in Martem: ventosum fulmen & iras
Evibrare; docet, pontúmq; evertere flando.
Ut venit: flexus ventorum Numen adorat
Mercurius; promítq; Jovis sanctissima jussa,
Ultricésq; iras: multo sua dicta lepore
Rhetorico comit, rivòq; fluente perorat:
Visa sit ut propriis facundia dicere rostris:
Eloquiíq; sui quemvis suspendere fluxu.
Apponit demum: jamtum Neptunius iras
Congerit in bellum frater, quas evomet omnes
Tu modò si veniens ventosa adjunxeris arma.
Ergo communem ne tardes Æole Martem:
Junge manus, furiásq; tuas: aqueâque palæstrâ

q) Tophus, certus lapis.

Siste acres ventos. parili certanda furore
Et sudore pari, sunt Rex ventose duella,
Quæ Jovis imperium, & vindex nunc impetus urget.
Grandis felici pendet Mavorte triumphus:
Gloriáq; æterno cantanda per æra cornu.

Pars quinta.

Æolus sat promptus addicit Iovi suam ventosam operam.

ÆOlus assurgit: gratissima nuntia risu
Annutúq; probat: borealia fulmina lætis
Addicit pactis: & toto pectore gaudet,
Quod liceat cœlo, liceat servire tonanti.
Sic demum affectum veneranti carmine prodit.
Unica sub cœco sunt hæc mea gaudia claustro,
Quod ventosa Jovi servire per agmina possim.
Hæc velit ille suo Deus indulgere ministro
Jubila: ut in quævis ventosas bella phalangas
Postulet: & nostris utatur fervidus iris:
Omnem illi dudum nos consecravimus æstum:
Et læti ad cunctas properamus semper arenas:
Si tantùm nostros dignatur Jupiter enses
Poscere: quin nutus satis est, ut ad arma volemus.
Et nunc quàm primùm ventosus in æquore miles
Stabit: & unitum junget cum fluctibus œstrum:
Prælia conjunget, decertandíq; laborem:
Incumbet vallis, extremáq; funera moli
Invisæ cudet. Mox aggeris ipsa ruina
Clamabit vicisse Jovem, dominúmq; cadendo

Fassa,

Fassa, ter ultoris canet arma potentia cœli.
Et nunc supremum vivat mera gaudia Numen:
Victorésq; agitet super hostica corpora currus:
Hæc sunt Æolii famulantia vota dynastæ.
Mercurius promptum gaudens in prælia Regem,
Numen adorato veneratur syrmate pronus:
Promittítq; fidem, dum tantos Regis amores
It retulisse Jovi: spondétq; encomia centum,
Sit quibus Hippotadem cœli ornaturus in aulâ.

CAPUT octavum.

Neptunus & Æolus se parant ad bellum movendum in valles ad Albis latera erectos.

Pars prima

Neptunus Tritones citat cum omni tubarum, cornuum & concharum genere, quibus fluctus ex imo maris sinu evocent: plurimum fretum in unum congerant cumulum, qui demum totus in Albis alveum irruat: ibique tam diu consistat: donec Æolus cum suo ventoso milite adsit, & Neptunus ultra tunc jubeat quid sit faciendum.

ERgo Neptunus promissa duella fidémque
Sollicito versans animo, Tritona vocabat:

Accelera, clamat, juncis caput effer & algâ
Triton, ad nostrum curras volitésq; tribunal:
Et tecum clamosa simul centum agmina fratrum,
Stentoreum vulgus conchæq; tubæq; peritum
Ante meum solium propero se turbine sistant.
Vix sic infremuit, pelagúsq; tridente flagellat;
En subitò festina ruit tritonia turba,
Stentores æquorei, tubicen, tibicen & omnis
Tethyos undoso squamosus in orbe boator:
Circuitu ingenti soliúmq; latúsq; coronant
Neptuni, stipántq; Deum, mandatáq; panso
Expectant rictu, promptóq; ad singula marte.
Pars gestant manibus contorta volumine deno
Cornua, purpureo Phœbi nascentis ab ortu
Usque sub occiduas solis resonantia spumas.
Pars miranda tenent docti conchilia torni,
Quæque per immensum mugire, boaréq; tractum
Nôrunt: atque ipsum rupto prope Morphea somno
Excivisse queunt Madido pars classica tergo
Pendula, & ingentes lituósq; tubásq; gerebat.
Pars bene distentos, alvísq; capacibus utres
Et genus è denso compactum inflatile scirpo
Accinxit costis & murmur grande minatur.
Ergo Jovis summi mandata sacerrima Nereus
Expromit fervens, & energica pondera gestu
Addit, & ardenti vim metris ingerit ore
Sic satis acer ait; conchas lituósq; tubásq;
Arripite, & totum flandi compellite Martem;
Quisquis murmureus latet imis spiritus extis
Congerite, & cunctos laterum conjungite ventos:

't ponti in gremium, fundum, centrúmq; boatus
lapsus penetret, turbétq; altissima claustra
Æquoris, & clausas imâ sub sede procellas
'undat, concutiat, multóq; volumine gyret:
olo námq; sinu ponti, centróq; sepultos
Horribiles fluctus, vix unquam sidera passos
lo horrente chao, pelagíq; voragine ab imâ
xcussos, conchæ per murmura vasta boantis
n maris attoniti supremum adducite dorsum:
nque aqueos montes contortum cogite pontum:
Qui montes celsum possint sale spargere cœlum:
t jactis tremulas intingere r) Plejadas undis,
ostea terribili fluitantes æquore colles,
ssum ingens Pelagus cornu præeunte trahetis
lbis in inviti ripas: ubi pontica moles
tabit: ab æoliis donec regionibus adsint
gmina ventorum, Boreas, Caurúsq;, Notúsq;,
lippotadísq; omnis laxato carcere miles,
nq; Albis tergo ventosa caterva palastram
ntrârit, furiásq; suas viréſq; procellis
unxerit? & belli resonantia signa movendi
ámq; erupturi clangentia classica Martis
xpectet cupidè. Quos postea miles in hostes
rumpat; geminúsq; petat quæ regna Gradivus
onticus Æoliúsq; simul: tunc ipse strategus
dicam præsens, violentáq; prælia certo
Ordine distribuam, pugnaturósq; s) lanistas
rovidus in plures volo digessisse phalangas.
am Triton aquei mandata & vota Monarchæ

 Prima

r) Plejas, stella est certa. s) Lanista, gladiator.

Prima tenes: abrumpe moras: taratantara clange:
Et tremat & tumeat pontus; totum æquor ab ipſo
Erumpat fundo; pallentem excurrat in Albim
Ut certam belli ſedem, Martiſq; palæſtram.

Pars ſecunda.

Tritones terribili fragore per totum mare inſonant: concurrunt ex imo maris gremio innumeri fluctus: ſequuntur præeuntes Tritones, & prævia eorum cornua: movent demum ad Albis alveum, velut ad belli ſedem, & ibidem auxiliares ventorum turmas & ulterius imperium expectant.

UT juſſit ſonuêre tubæ, ſonuêre recurva
Cornua: multiſonæ ſpatioſa cucurbita conchæ
Inflatiq; utres, cuncta inſtrumenta boandi
Per totum horribili mare mugivere tumultu.
Ipſámet ad vaſtos expalluit unda boatus:
Ripáq; concuſſa eſt: vicina in littore rupes
Nutat, commoto titubabat vertice lucus.
Quæque lateſcebat ſylvis & mœnibus Echo
Horruit immenſos imitari ignara fragores;
Muta ſtetit, veteris ſtupuítque ſilentia linguæ.
Murmur it in fundum ponti: centrúmq; ſub imum
Grandis ſe fragor intrudit, chaos excutit illud:
Inde imas undas, decumanas inde procellas
Evocat, & ſuperum conſcendere mandat in æquor.
Abditus audivit mandantia murmura fluctus:

Paret,

Paret, & ex imo grandi ſe turbine fundo
Corripit, in ſupero ponti conſiſtere dorſo.
Inde fretum in montes crevit, flammantibus undas
Aſperſit ſtellis, & tinxit rore *t)* Booten.
Ergo maris dorſo ſtantes ingente procellæ
Tritonum rurſus leges, nova cornua rurſus,
Rurſus clangentûm expectant præcepta tubarum:
Atque illuc ardent totâ decurrere mole,
Quò novus urgebit lituus, quo Claſſica rurſus
Ulteriórve vocet Neptuni nomine Triton.
Non aliter quàm ſi coiens ad tympana miles
Stat patulo ruri, præſtolatúrq; ſtrategi
Claſſica, & ulterius Martémq; locúmq;, viámq;
Mandaturarum murmur ferale tubarum.
Fluctiſonas igitur *u*) ſtentor tritonius undas
Præcedit, conchíſq; rugit, reparátq; ſonorum
Murmur, & imperio cunctis edicit herili
Ut ſeſe, Concháſq; duces immenſa procella
Contendat properétq; ſequi: certaminis ipſum
Se monſtraturum liquido pro milite campum.
En tibi caſtra movent tremulo fluitantia ponto:
Tritones præeunt & prævia cornua clangunt:
Subſequitur fluctus, ducibus præeuntibus inſtat.
Tandem germanum quivis contendit ad Albim:
Illuc raucíſono rapiunt ſe turbine fluctus:
Illuc vergit iter: totum mare volvitur iſtuc.
Utque tenent Albis pavidum tota agmina dorſum,
Subſiſtunt illuc velut in Mavortis arenâ,
Sede velut belli. Nova præſtolantur ibidem

t) Bootes, auriga ſtellaris. *u*) Stentor, clamator.

Neptuni mandata sui: quæ mœnia sterni,
Quis frangi vallos, quæ propugnacula tundi,
Convellíq; velit: quo cum confligere Turno,
Quo cum cerbereo jubeat concurrere monstro.

Pars tertia.

Æolus interea ventorum exercitum ordinat: Boream, Caurum, Eurum præficit generales. Argesten, Vulturnum, Notum, Corum, alióſque creat colonellos. Dulcis vero Zephyrus jubetur manere domi ad obſequium Æolidis Reginæ; ut illa Helena ferat æquior abſentem aliquo tempore Paridem

Æolum.

Æolus interea bellatricésq; coëgit
In cuneos turmas, centena in x) agemata ventos:
Præfecitq; Duces, aſſignavítq; ſtratégos:
E quorum imperio moles hæc magna Gradivi
Staret, & adverſas iret confringere turmas.
Terribilis boreas, creperos qui martius ignes
Efflat, & accenſum cunctis ſpuit artubus œſtrum
Primus ductor erat: Caurus dux arma ſecundus
Dirigit: & pugnas moderatur tertius Eurus.
Africus, Argeſtes, Auſter, Corúſque, Notúſque,
Vulturnus, variiq; alii nova bella gubernant
More colonelli, & juſſas ſub legibus iras
Aſſultúſq; regunt: populóſq; accendere verbis

Exem-

x) Agema, manipulus militaris.

Exemplísq; student: ut semper martia virtus
Digestúsq; ordo turmis pugnantibus insit.
Blandus at æoliâ Zephyrus retinetur in aulâ:
Æolidísq; Deæ, dum pugnat prælia conjux,
Jussus erat servire comes, mulcere gementem,
Solari tristem, lachrymas detergere mœstæ,
Jucundo lenire suo suspiria risu,
Dejectámq; jocis Divam salibúsq; levare,
Fallere narrandis frigentia tempora nugis:
Ut paridem absentem toleret pacata parumper
Hæc Helena, & veteris cessantia basia vitæ
Æqua mente ferat, reditura in gaudia duret.

Pars quarta.

Æolus super Albim suos ventorum milites marino fluctuum exercitui conjungit.

TUM sese tumido ventosus miles in Albi
Fluctibus adjunxit, corpúsq; coivit in unum.
Composuit dextram Boreas mavortius alam:
Lævam Caurus habet: medium ponti agmina corpus
Conflant: antevolat cuneos, hostémq; lacessit
Fronte minax Eurus: claudítq; triarius Auster
Omnem armaturam. Circùm fera cornua Corus
Continuò volitat: vult sicut fidus Achates
Esse istic præstò cùm succurrentibus iris,
Est ubi debilior populus, graviúsq; minarum
Incumbit tonitru, & partem jam diruit hostis.
Non aliter quàm si Romanum corpus in armis

Staret: ubi longum tunc turma triaria tergus
Clauderet: & miles latus auxiliaris utrumque
Muniret: frontem cum Teutone Francus haberet,
Pompejúsq; Italo faceret cum milite corpus.
Ergo stat æquoreâ bellator quisque palæstrâ,
Hìc Mars ventosus, vires ad bella futura
Convocat: atque enses ad proxima fulmina stringit;
Istîc undosi cunei, queis pectore virtus
Martia, & herculei subter præcordia spirant
Et frendent animi: certum jámque omen habebant
Frondentis palmæ, concedendíq; triumphi.
Nutum ergo pugnæ præstolabantur, ut ictum
Inferrent hosti, plenâ tereréntq; ruinâ.

Pars quinta.

Neptunus ad utrumque ventorum & aquarum exercitum affert Iovis imperium: scilicet ut aggeres ad Albis latera erectos invadant, multis in locis plenè evertant, alibi tamen modò rumpant, alibi etiam integros relinquant; inde furens unda in agros magno spatio irrumpat, segetem plurimam, non tamen omnem sternat: obvias ædes & casas, non tamen urbem aut pagum integrum evertat: multa pecora non tamen omnia, & mille circiter homines non plures perimat, ut pœnæ aliqua sit conjuncta clementia.

Albis

ALbis ut in dorſo conſiſtit uterque Gradivus
Ponticus Æoliúſq; ſimul, mandatáq; Regum
Expetit: en recitat Jovis immutabile juſſum
Neptunus, magnus pelagi dominator: & hoſtem
Mactandum monſtrat; miles cuî Martius enſes
Torqueat, & certum fabricent dua caſtra ſepul-
chrum.
Sic tamen: ut ſanctus ſit regula ſacra furoris
Jupiter: è cujus pendens ſit machina nutu
Bellica, & in poſitis teneant ſe fulmina metis.
Acer in hoc jambo rigidâ gravitate ſevero
Attulit imperium:
Aquoſe ponti miles, Æolii pugil
Ventoſe Regis, vóſq; millenâ caput
Lauro revincti principes, belli duces:
Martis ſtrategi: juſſa ſupremi Jovis
Sacrata refero: de quibus fas non erit
Punctum vel unum frangere, vel unum ſemel
Violare comma: Jupiter fulmen quatit,
Terit rebelles ſulphure vibrato globos.
Stant lutea ad Albim mœnia, è glebâ merâ
Fimóq; ſtructa culmina, & ſtercus ſuum
Audace tollunt fronte, ſublimi polos
Luto laceſſunt, & putri cœni fimo,
Putri vapore ſtelleas terrent domos,
Nares Dearum ſauciant. Odit Deus,
Oditq; cœlum ſordidum hoc collis genus:
Stercorea damnat mœnia & frangi jubet.
Hic ergo vallus Albis allambens aquas,
Stercutius ille collis, hoc fimi jugum

Erit

Erit furoris martii & belli ſcopus.
Hoc quatite culmen terreum, hos veſter labor
Tundat, revellat aggeres. ſtrato ſuper
Illo triumphet hoſte. Multiplici loco
Sternatur adeò, tenuis ut in auras cinis
Et pulvis abeat: redeat in primum chaos
Vetúſq; nihilum: nuda nec ſui quidem
Maneat ſuperſtes umbra: ſed alibi ſat eſt
Lacerare coſtas: vulnere frequenti latus
Sic concidiſſe, fiſſus ut multis hiet
Agger lacunis, & procelloſis iter
Aperiat undis: gratia hæc fiat tamen
Aliquot in oris: verbera ut poſtquam tulit
Millena Martis agger, illæſum tamen
Efferat ad aſtra verticem, & crudum fleat
Sed ſalvus ictum. Temperat parvo Deus
Iras amore. Turbine ingenti fretum
Mox ruat in arva, victor ubi fecit viam
Impactus aries. Ruris hyemalis Ceres
Quæ fortè prima militi undoſo obviat
Sternatur: iris immolet primis caput,
Martémq; adoret ſtrata. Quod primum pecus
Incidit in ungues, aqueus abripiat globus
Sternatur: illa Martis eſt merces tui,
Spolium labori debitum. Quod ſi caſa
Obſtet ruenti turbini ut faciat moram,
Sternatur, omnem trita per pontum fluat.
Quem prendit hominem fluctuum primus furor,
Sternatur: aquei ſentiat belli minas,
Fulmen tridentis ſentiat, & atro ferat

Fratri

›tri salutem. Mille si mersi tamen
›mines sub undis fluctuent: iras tene:
› ampliori retrahas fulmen nece:
ınc plura vetuit funera Deorum pater.
ec urbs, nec ullus integer pagus natet
ersus undis: hanc vetat stragem polus.
r aliqua rura verticem salvum levent
ım Cerere pecora: jussa sic Jovis volunt:
t melle fella temperet: & iris modum
ladiq; statuat, vindicem & patrem probet
c imperantem, belliger adora Deum,
eum tonantem miles: & cautus vide
iolemur ullus nequis à jussis apex.
ılmineus ardet Jupiter, & acres scelus
rit per ignes, pérq; tonitrales globos.
u fulminanti subtrahas pellem Deo.

Pars sexta.

eptunus, & Æolus suos aqueos & ventosos milites ad strenuum in vallos assultum animant.

UT fuit ætherei Jovis explanata voluntas:
Numen utrumque suas animare, accendere turmas
cœpit, & audaces metris ardentibus iras
ıspirare animis: multâq; cupidine laudis
ıtarcire sinus, atque ambitione triumphi
iscera belligeræ replere flagrantia gentis:
ondere magnanimas imo sub pectore flammas,

Et

Et trepidum toto comburere Corde pavorem;
His pergit Nercûs calcaria ſubdere jambis.
Imperia dedimus: quiſque ſe præſtet virum,
Qui martiali ſpiritu plenus ſinum
Herculea pugnet prælia, & fati nihil
Hoſtiſve metuat. Laudis æternæ ſeges
Et ſempiterna gloria invictam manum,
Intrepida ſequitur bella, Perpetuis canent
Veſtros labores verſibus ponti Deæ:
Et noſtra ſiren dulcior hyblæo favo,
Tonitrua fortis prælii, & raptam tuo
Ab hoſte laurum rhythmico canet melo,
Stillante nectar optimum Muſâ canet:
Mella modulantis æquora ſtupebunt metri.
Ergo generoſum quiſque ſe probet Hectorem:
In hos, ut alter Hercules hoſtes ruat.
Mox parili jambo turmas Rex Æolus urget.
O miles inquit, noſtra ventorum cohors,
Iris agendum fortibus, & acri manu
Eſt præliandum. Gloria & generis decus
Ab hoc Gradivo pendet. Abſcedat procul
Pallor pavórque: potiùs inflammet jecur
Mavortialis maximi Alcidæ calor,
Turni ferocis ignis, Æneæ furor,
Et flamma Achillis. Siquis ignavo geret
Hæc enſe bella: putridâ ſiquis fugâ
Linquet palæſtras: perfidum hoc ego caput,
Hunc hunc abortum generis æterno ſpecu
Claudam ſepultum: noctis hunc fucum chao

Condam

Condam perenni, ſentiet nunquam diem,
Solare nunquam ſentiet Phœbi jubar.

CAPUT nonum.

Expugnantur aggeres ad Albim erecti.

Pars prima.

Tritones à Neptuno juſsi ſuis tubis & conchis dant ſigna faciendi aſſultûs.

MOX ſic Neptunus ſic fervens Æolus inquit.
Nunc æra clangant! Claſſicum Martis ſonet!
Da ſigna Triton prælii: & tuo viros
Acue tumultu: clangor accendat jecur.
Dixerat; & toto ſonuerunt cornua ponto;
Mugivere tubæ: tritonia claſſica bellum
Indicunt, animántq; viros, pellúntq; timores,
Audacéſq; animos, incurſuróſq; labores
Inſpirant: ardet toto mera gloria campo.

Pars ſecunda.

Vterque exercitus, ventoſus & æquoreus fortem faciunt in aggeres aſſultum.

ERgo giganteo bellaces robore turmæ
Invadunt vallos; hæc propugnacula tundunt
Terrea,

Sistæ acres ventos. parili certanda furore
Et sudore pari, sunt Rex ventose duella,
Quæ Jovis imperium, & vindex nunc impetus urget.
Grandis felici pendet Mavorte triumphus:
Gloriáq; æterno cantanda per aëra cornu.

Pars quinta.

Æolus sat promptus addicit Iovi suam ventosam operam.

ÆOlus assurgit: gratissima nuntia risu
Annutúq; probat: borealia fulmina lætis
Addicit pactis: & toto pectore gaudet,
Quod liceat cœlo, liceat servire tonanti.
Sic demum affectum veneranti carmine prodit.
Unica sub cœco sunt hæc mea gaudia claustro,
Quod ventosa Jovi servire per agmina possim.
Hæc velit ille suo Deus indulgere ministro
Jubila: ut in quævis ventosas bella phalangas
Postulet: & nostris utatur fervidus iris:
Omnem illi dudum nos consecravimus æstum:
Et læti ad cunctas properamus semper arenas:
Si tantùm nostros dignatur Jupiter enses
Poscere: quin nutus satìs est, ut ad arma volemus.
Et nunc quàm primùm ventosus in æquore miles
Stabit: & unitum junget cum fluctibus œstrum:
Prælia conjunget, decertandíq; laborem:
Incumbet vallis, extremáq; funera moli
Invisæ cudet. Mox aggeris ipsa ruina
Clamabit vicisse Jovem, dominúmq; cadendo

Fassa,

Fassa, per ultoris canet arma potentia cœli.
Et nunc ſupremum vivat mera gaudia Numen:
Victoréſq; agitet ſuper hoſtica corpora currus:
Hæc ſunt Æolii famulantia vota dynaſtæ.
Mercurius promptum gaudens in prælia Regem,
Numen adorato veneratur ſyrmate pronus:
Promittítq; fidem, dum tantos Regis amores
It retuliſſe Jovi: ſpondétq; encomia centum,
Sit quibus Hippotadem cœli ornaturus in aulâ.

CAPUT octavum.

Neptunus & Æolus ſe parant ad bellum movendum in valles ad Albis latera erectos.

Pars prima

Neptunus Tritones citat cum omni tubarum, cornuum & concharum genere, quibus fluctus ex imo maris ſinu evocent: plurimum fretum in unum congerant cumulum, qui demum totus in Albis alveum irruat: ibique tam diu conſiſtat: donec Æolus cum ſuo ventoſo milite adſit, & Neptunus ultra tunc jubeat quid ſit faciendum.

Ergo Neptunus promiſſa duella fidémque
Sollicito verſans animo, Tritona vocabat:

Accelera, clamat, juncis caput effer & algâ
Triton, ad nostrum curras volitésq; tribunal:
Et tecum clamosa simul centum agmina fratrum,
Stentoreum vulgus conchæq; tubæq; peritum
Ante meum solium propero se turbine sistant.
Vix sic infremuit, pelagúsq; tridente flagellat;
En subitò festina ruit tritonia turba,
Stentores æquorei, tubicen, tibicen & omnis
Tethyos undoso squamosus in orbe boator:
Circuitu ingenti soliúmq; latúsq; coronant
Neptuni, stipántq; Deum, mandatáq; panso
Expectant rictu, promptóq; ad singula marte.
Pars gestant manibus contorta volumine deno
Cornua, purpureo Phœbi nascentis ab ortu
Usque sub occiduas solis resonantia spumas.
Pars miranda tenent docti conchilia torni,
Quæque per immensum mugire, boaréq; tractum
Nôrunt: atque ipsum rupto prope Morphea somno
Excivisse queunt. Madido pars classica tergo
Pendula, & ingentes lituósq; tubásq; gerebat.
Pars bene distentos, alvísq; capacibus utres
Et genus è denso compactum inflatile scirpo
Accinxit costis & murmur grande minatur.
Ergo Jovis summi mandata sacerrima Nereus
Expromit fervens, & energica pondera gestu
Addit, & ardenti vim metris ingerit ore
Sic satis acer ait; conchas lituósq; tubásq;
Arripite, & totum flandi compellite Martem:
Quisquis murmureus latet imis spiritus extis
Congerite, & cunctos laterum conjungite ventos:

Ut

t ponti in gremium, fundum, centrúmq; boatus
apsus penetret, turbétq; altissima claustra
æquoris, & clausas imâ sub sede procellas
undat, concutiat, multóq; volumine gyret:
lo námq; sinu ponti, centróq; sepultos
orribiles fluctus, vix unquam sidera passos
lo horrente chao, pelagíq; voragine ab imâ
xcussos, conchæ per murmura vasta boantis
maris attoniti supremum adducite dorsum:
ique aquecos montes contortum cogite pontum:
Qui montes celsum possint sale spargere cœlum:
t jactis tremulas intingere *r)* Plejadas undis,
ostea terribili fluitantes æquore colles,
sum ingens Pelagus cornu præeunte trahetis
lbis in inviti ripas: ubi pontica moles
abit: ab æoliis donec regionibus adsint
gmina ventorum, Boreas, Caurúsq;, Notúsq;,
Hippotadísq; omnis laxato carcere miles,
q; Albis tergo ventosa caterva palastram
ntrârit, furiásq; suas virésq; procellis
unxerit? & belli resonantia signa movendi
ünq; erupturi clangentia classica Martis
xpectet cupidè. Quos postea miles in hostes
rumpat; geminúsq; petat quæ regna Gradivus
onticus Æoliúsq; simul: tunc ipse strategus
dicam præsens, violentáq; prælia certo
rdine distribuam, pugnaturósq; *s)* lanistas
rovidus in plures volo digessisse phalangas.
am Triton aquei mandata & vota Monarchæ

 Prima

r) Plejas, stella est certa. *s)* Lanista, gladiator.

Prima tenes: abrumpe moras: taratantara clange:
Et tremat & tumeat pontus: totum æquor ab ipso
Erumpat fundo: pallentem excurrat in Albim
Ut certam belli sedem, Martisq; palæstram.

Pars secunda.

Tritones terribili fragore per totum mare insonant: concurrunt ex imo maris gremio innumeri fluctus: sequuntur præeuntes Tritones, & pravia eorum cornua: movent demum ad Albis alveum, velut ad belli sedem, & ibidem auxiliares ventorum turmas & ulterius imperium expectant.

UT jussit sonuêre tubæ, sonuêre recurva
Cornua: multisonæ spatiosa cucurbita conchæ
Inflatiq; utres, cuncta instrumenta boandi
Per totum horribili mare mugivere tumultu.
Ipsámet ad vastos expalluit unda boatus:
Ripáq; concussa est: vicina in littore rupes
Nutat, commoto titubabat vertice lucus.
Quæque latescebat sylvis & mœnibus Echo
Horruit immensos imitari ignara fragores:
Muta stetit, veteris stupuítque silentia linguæ.
Murmur it in fundum ponti: centrúmq; sub imum
Grandis se fragor intrudit, chaos excutit illud:
Inde imas undas, decumanas inde procellas
Evocat, & superum conscendere mandat in æquor.
Abditus audivit mandantia murmura fluctus:

Paret,

et, & ex imo grandi ſe turbine fundo
rripit, in ſupero ponti conſiſtere dorſo.
le fretum in montes crevit, flammantibus undas
ɔerſit ſtellis, & tinxit rore *t)* Booten.
go maris dorſo ſtantes ingente procellæ
itonum rurſus leges, nova cornua rurſus,
ırſus clangentûm expectant præcepta tubarum:
que illuc ardent totâ decurrere mole,
uò novus urgebit lituus, quo Claſſica rurſus
lteriórve vocet Neptuni nomine Triton.
on aliter quàm ſi coiens ad tympana miles
at patulo ruri, præſtolatúrq; ſtrategi
laſſica, & ulterius Martémq; locúmq;, viámq;
landaturarum murmur ferale tubarum.
luctiſonas igitur *u*)ſtentor tritonius undas
ræcedit, conchíſq; rugit, reparátq; ſonorum
lurmur, & imperio cunctis edicit herili
Jt ſeſe, Concháſq; duces immenſa procella
Contendat properétq; ſequi: certaminis ipſum
e monſtraturum liquido pro milite campum.
En tibi caſtra movent tremulo fluitantia ponto:
Tritones præeunt & prævia cornua clangunt:
ſubſequitur fluctus, ducibus præeuntibus inſtat.
Tandem germanum quivis contendit ad Albim:
Illuc rauciſono rapiunt ſe turbine fluctus:
Illuc vergit iter: totum mare volvitur iſtuc.
Utque tenent Albis pavidum tota agmina dorſum,
Subſiſtunt illuc velut in Mavortis arenâ,
Sede velut belli. Nova præſtolantur ibidem

 Neptu-

t) **Bootes, auriga ſtellaris.** *u)* **Stentor, clamator.**

Neptuni mandata sui: quæ mœnia sterni,
Quis frangi vallos, quæ propugnacula tundi,
Convellíq; velit: quo cum confligere Turno,
Quo cum cerbereo jubeat concurrere monstro.

Pars tertia.

Æolus interea ventorum exercitum ordinat: Boream, Caurum, Eurum præficit generales. Argesten, Vulturnum, Notum, Corum, alióſque creat colonellos. Dulcis vero Zephyrus jubetur manere domi ad obsequium Æolidis Reginæ; ut illa Helena ferat æquior absentem aliquo tempore Paridem

Æolum.

ÆOlus interea bellatricésq; coëgit
In cuneos turmas, centena in x) agemata ventos:
Præfecitq; Duces, assignavítq; strategos:
E quorum imperio moles hæc magna Gradivi
Staret, & adversas iret confringere turmas.
Terribilis boreas, creperos qui martius ignes
Efflat, & accensum cunctis spuit artubus œstrum
Primus ductor erat: Caurus dux arma secundus
Dirigit: & pugnas moderatur tertius Eurus.
Africus, Argestes, Auster, Corúsque, Notúsque,
Vulturnus, variíq; alii nova bella gubernant
More colonelli, & jussas sub legibus iras
Assultúsq; regunt: populósq; accendere verbis

Exem-

x) Agema, manipulus militaris.

œm; líſq; ſtudent: ut ſemper martia virtus
igeſtúſq; ordo turmis pugnantibus inſit.
andus at æoliâ Zephyrus retinetur in aulâ:
olidíq; Deæ, dum pugnat prælia conjux,
iſſus erat ſervire comes, mulcere gementem,
olari triſtem, lachrymas detergere mœſtæ,
icundo lenire ſuo ſuſpiria riſu,
ejectámq; jocis Divam ſalibúſq; levare,
allere narrandis frigentia tempora nugis:
t paridem abſentem toleret pacata parumper
ac Helena, & veteris ceſſantia baſia vitæ
qua mente ferat, reditura in gaudia duret.

Pars quarta.

olus ſuper Albim ſuos ventorum milites marino fluctuum exercitui conjungit.

TUM ſeſe tumido ventoſus miles in Albi
Fluctibus adjunxit, corpúſq; coivit in unum.
ompoſuit dextram Boreas mavortius alam:
ævam Caurus habet: medium ponti agmina corpus
onflant: antevolat cuneos, hoſtémq; laceſſit
ronte minax Eurus: claudit q; triarius Auſter
mnem armaturam. Circùm fera cornua Corus
ontinuò volitat: vult ſicut fidus Achates
ſſe iſtic præſtò cùm ſuccurrentibus iris,
ſt ubi debilior populus, graviúſq; minarum
cumbit tonitru, & partem jam diruit hoſtis.
on aliter quàm ſi Romanum corpus in armis

Staret: ubi longum tunc turma triaria tergus
Clauderet: & miles latus auxiliaris utrumque
Muniret: frontem cum Teutone Francus haberet,
Pompejúsq; Italo faceret cum milite corpus.
Ergo stat æquoreâ bellator quisque palæstrâ.
Hìc Mars ventosus, vires ad bella futura
Convocat: atque enses ad proxima fulmina stringit;
Istîc undosi cunei, queis pectore virtus
Martia, & herculei subter præcordia spirant
Et frendent animi: certum jámque omen habebant
Frondentis palmæ, concedendíq; triumphi.
Nutum ergo pugnæ præstolabantur, ut ictum
Inferrent hosti, plenâ tererentq; ruinâ.

Pars quinta.

Neptunus ad utrumque ventorum & aquarum exercitum affert Iovis imperium: scilicet ut aggeres ad Albis latera erectos invadant, multis in locis plenè evertant, alibi tamen modò rumpant, alibi etiam integros relinquant; inde furens unda in agros magno spatio irrumpat, segetem plurimam, non tamen omnem sternat: obvias ædes & casas, non tamen urbem aut pagum integrum evertat: multa pecora non tamen omnia, & mille circiter homines non plures perimat, ut pœnæ aliqua sit conjuncta clementia.

Albis

A Lbis ut in dorso consistit uterque Gradivus
A Ponticus Æoliúsq; simul, mandatáq; Regum
petit: en recitat Jovis immutabile jussum
ptunus, magnus pelagi dominator: & hostem
ıctandum monstrat; miles cuî Martius enses
rqueat, & certum fabricent dua castra sepulchrum.

: tamen: ut sanctus sit regula sacra furoris
piter: è cujus pendens sit machina nutu
llica, & in positis teneant se fulmina metis.
er in hoc jambo rigidâ gravitate severo
tulit imperium:
quose ponti miles, Æolii pugil
entose Regis, vósq; millenâ caput
uro revincti principes, belli duces:
artis strategi: jussa supremi Jovis
crata refero: de quibus fas non erit
unctum vel unum frangere, vel unum semel
iolare comma: Jupiter fulmen quatit,
erit rebelles sulphure vibrato globos.
ant lutea ad Albim mœnia, è glebâ merâ
móq; structa culmina, & stercus suum
udace tollunt fronte, sublimi polos
uto laçessunt, & putri cœni fimo,
uri vapore stelleas terrent domos,
ares Dearum sauciant. Odit Deus,
dítq; cœlum sordidum hoc collis genus:
tercorea damnat mœnia & frangi jubet.
lic ergo vallus Albis allambens aquas,
tercutius ille collis, hoc fimi jugum

Erit

Erit furoris martii & belli ſcopus.
Hoc quatite culmen terreum, hos veſter labor
Tundat, revellat aggeres. ſtrato ſuper
Illo triumphet hoſte. Multiplici loco
Sternatur adeò, tenuis ut in auras cinis
Et pulvis abeat: redeat in primum chaos
Vetúſq; nihilum: nuda nec ſui quidem
Maneat ſuperſtes umbra: ſed alibi ſat eſt
Lacerare coſtas: vulnere frequenti latus
Sic concidiſſe, fiſſus ut multis hiet
Agger lacunis, & procelloſis iter
Aperiat undis: gratia hæc fiat tamen
Aliquot in oris: verbera ut poſtquam tulit
Millena Martis agger, illæſum tamen
Efferat ad aſtra verticem, & crudum fleat
Sed ſalvus ictum. Temperat parvo Deus
Iras amore. Turbine ingenti fretum
Mox ruat in arva, victor ubi fecit viam
Impactus aries. Ruris hyemalis Ceres
Quæ fortè prima militi undoſo obviat
Sternatur: iris immolet primis caput,
Martémq; adoret ſtrata. Quod primum pecus
Incidit in ungues, aqueus abripiat globus
Sternatur: illa Martis eſt merces tui,
Spolium labori debitum. Quod ſi caſa
Obſtet ruenti turbini ut faciat moram,
Sternatur, omnem trita per pontum fluat.
Quem prendit hominem fluctuum primus furor,
Sternatur: aquei ſentiat belli minas,
Fulmen tridentis ſentiat, & atro ferat

Fratri

ꝛtri salutem. Mille si mersi tamen
ꝛmines sub undis fluctuent: iras tene:
ꝛ ampliori retrahas fulmen nece:
ınc plura vetuit funera Deorum pater.
ec urbs, nec ullus integer pagus natet
versus undis: hanc vetat stragem polus.
ꝛr aliqua rura verticem salvum levent
um Cerere pecora: jussa sic Jovis volunt:
t melle fella temperet: & iris modum
ladiq; statuat, vindicem & patrem probet
ic imperantem, belliger adora Deum,
Deum tonantem miles: & cautus vide
Violetur ullus nequis à jussis apex.
ulmineus ardet Jupiter, & acres scelus
Jrit per ignes, pérq; tonitrales globos.
Tu fulminanti subtrahas pellem Deo.

Pars sexta.

Neptunus, & Æolus suos aqueos & ventosos milites ad strenuum in vallos assultum animant.

UT fuit ætherei Jovis explanata voluntas:
Numen utrumque suas animare, accendere turmas
Cœpit, & audaces metris ardentibus iras
Inspirare animis; multâq; cupidine laudis
Infarcire sinus, atque ambitione triumphi
Viscera belligeræ replere flagrantia gentis:
Condere magnanimas imo sub pectore flammas,

Et

Et trepidum toto comburere Corde pavorem;
His pergit Nercûs calcaria ſubdere jambis.
Imperia dedimus: quiſque ſe præſtet virum,
Qui martiali ſpiritu plenus ſinum
Herculea pugnet prælia, & fati nihil
Hoſtiſve metuat. Laudis æternæ ſeges
Et ſempiterna gloria invictam manum,
Intrepida ſequitur bella, Perpetuis canent
Veſtros labores verſibus ponti Deæ:
Et noſtra ſiren dulcior hyblæo favo,
Tonitrua fortis prælii, & raptam tuo
Ab hoſte laurum rhythmico canet melo,
Stillante nectar optimum Musâ canet:
Mella modulantis æquora ſtupebunt metri.
Ergo generoſum quiſque ſe probet Hectorem:
In hos, ut alter Hercules hoſtes ruat.
Mox parili jambo turmas Rex Æolus urget.
O miles inquit, noſtra ventorum cohors,
Iris agendum fortibus, & acri manu
Eſt præliandum. Gloria & generis decus
Ab hoc Gradivo pendet. Abſcedat procul
Pallor pavórque: potiùs inflammet jecur
Mavortialis maximi Alcidæ calor,
Turni ferocis ignis, Æneæ furor,
Et flamma Achillis. Siquis ignavo geret
Hæc enſe bella: putridâ ſiquis fugâ
Linquet palæſtras: perfidum hoc ego caput,
Hunc hunc abortum generis æterno ſpecu
Claudam ſepultum: noctis hunc fucum Chao

Condam

Condam perenni, sentiet nunquam diem,
Solare nunquam sentiet Phœbi jubar.

CAPUT nonum.

Expugnantur aggeres ad Albim erecti.

Pars prima.

Tritones à Neptuno jussi suis tubis & conchis dant signa faciendi assultûs.

MOX sic Neptunus sic fervens Æolus inquit.
Nunc æra clangant! Classicum Martis sonet!
Da signa Triton prælii: & tuo viros
Acue tumultu: clangor accendat jecur.
Dixerat; & toto sonuerunt cornua ponto;
Mugivere tubæ: tritonia classica bellum
Indicunt, animántq; viros, pellúntq; timores,
Audacésq; animos, incursurósq; labores
Inspirant: ardet toto mera gloria campo.

Pars secunda.

Vterque exercitus, ventosus & æquoreus fortem faciunt in aggeres assultum.

ERgo giganteo bellaces robore turmæ
Invadunt vallos; hæc propugnacula tundunt

Terrea,

Terrea, & ingenti bacchantur in illa tumultu.
Incubat iratus dixiſſes mœnibus Hector
Et toto niſu, & cunctis advolvitur armis
Heros, nec muris niſi tritis cedere certus:
Sic ingens aries infracto ſemper adactus
In vallos pulſu, cuſos è ſtercore muros
Verberat: ínque illos plenis infunditur iris:
Herculeóſq; ſtupent Neptunus & Æolus auſus.

Pars tertia.

Immoti tamen ſtant aggeres, factóſque fluctuum & ventorum aſſaltus fortiter frangunt & retundunt.

SEd tamen immotus quatiente ſub arjete ſtabat
Agger, & iratum veluti ridebat ad œſtrum.
Excipit impavido furialia prælia tergo:
Excipit aſſultus incurſantémq; Gradivum:
Excipit immenſum toto à certamine pondus:
Excipit impacti numero ſinè verbera venti:
Excipit ardentes tundente ex æquore pugnas:
Nec tamen innumeros hiſcebat vallus ad ictus;
Objicit intrepidas ad ſingula fulmina coſtas,
Immotúmq; ſinum: veteri ſtatione nec unguem
Cedit: ſéque locúmq; ſuum ſpartámq; tuetur.
Quin velut è ferro vallus foret æréq; fuſus
Aſſultus frangit, pulſat, fugat, abjicit hoſtes,
Et cogit laſſas gleba inviĉtiſſima turmas
Deſperare ſuam poſt irrita verbera laurum.

Dixiſſes

Dixisses: aliquod de celso Numen Olympo
In scyllam, in cautes hæc propugnacula glebæ
Verterit: immoto sic frangunt pectore Martem.

Pars quarta.

Neptunus fractum pulsumq; cernens undosum & ventosum militem; revocat fugaces turmas, animátque ad novos assultus.

DUm fractas pulsásq; suas Neptunius undas
Aspectat ductor: dum lassos Æolus Euros,
Vulturnósq; videt, frustratáq; prælia Cauri,
Et gestu & vultu. Deus excandescit uterque:
Igneus est Nereûs: flammas vomit Æolus ore.
Dentibus infrendent: miscent iráq; pudorem:
Sed studium tamen est turmas revocare fugaces:
Inspirare animos & rursus in ilibus ignes
Accendisse novos: Martis, vitiúmq; probrúmq;
Ut meliore queántq; velíntq; expungere bello:
Et crimen deforme fugæ graviore laborent
Exusisse igne, & forti delere Gradivo.
Hanc ergo querulam Nereûs spuit ore poësin:
Sic fluctus victi vallo victore recedunt!
Fractáq; desperat palmam plausúmq; procella!
Ipsa coronatos fabricat jam gleba triumphos!
Insultántq; meis jam stercora putrida turmis!
Vah facinus! vah grande probrum! quò prissina cessit
Militis undosi virtus! ubi mansit avitum
Robur quod totum toties concusserat orbem:

Ut nunc pallescat: nunc ad contorta fimeta
Horreat, & titubet, desperatâq; coronâ
Victricem laurum putri permittat arenæ.
Pontice miles, Tethyos unda
Indue primum pectore robur.
Hæc probra forti dilue pugnâ.
Hercule major jam rue rursus:
Rursus in istas irrue glebas,
Et repetito valla furore
Sordida tundas, stercora frangas.
Revocare liceat gloriæ antiquum decus:
Meminisse miles pristinas lauros velis:
Ponti tumultum tota dum tellus magis
Irísq; tremuit: spectra quàm Ditis lacu
Egressa timuit. Sic quid ignotam fugam
Nunc aquee tentas miles! ô rursum subi
Fortis palæstras! rursus in muros move:
Repara furores: bellico rursum latus
Ariete pulsa. Quicquid elisus modò
Habet pudoris ictus, & probri fuga,
Ardentiore corrige Gradivo pugil:
Graviore crimen dexterâ, & labem novo
Rescinde tonitru. Túq; ventorum phalanx
Martios primos repetas labores:
Rursus in vallos glomera furores:
Junge te nobis bene martialem
vente sodalem.
Elue invisum facinus fugacis
Vente terroris: bene pertinacis

Auster

Auster assultûs repara laborem
atque decorem.
Classicum Triton iterum sonato:
Ad novas pugnas socios vocato:
Excita in vallos reparare rursum
agmina cursum.

Pars quinta.

Sonantibus iterum Tritonum conchis miles novum in valla tentat assultum, ex quo sub multis vulneribus quasi ingemiscunt aggeres. necdum tamen plenè cedunt.

UT dixit: pelago Tritonia turba pavente
Immugit rursum conchis: cœlòq; salóq;
Insonat horribilis Tritone boante tumultus.
Accendit pudibunda iterum trux agmina clangor
Ac hebetes acuunt lituiq; tubæq; furores:
Inspirant grandes animos, cupidósq; sinistram
Delevisse fugam, fractiq; opprobria Martis
Protinus Herculeis decies extinguere factis.
Ipsæ ergo Æoliæ se collegere catervæ
Undosæq; iterum: detestatæq; prioris
Assultûs vitium, melioribus ignibus exta
Inflammant: proprii jurant per scuta strategi
Pérq; Jovis fasces, nigri per flumina Ditis:
Non ante à cœpto quenquam desistere bello:
Hoc quàm stercoreum millena clade theatrum

Conciderit tritum, & pulvis diffusus adoret
Victorem tandem nova post certamina Martem,
Ergo aciem glomerant, cuneos & agemata jungunt:
Herculei irrumpunt: cladésq; ignésq; furenti
Exspirant vultu: nova valli funera tentant:
Immani incumbunt nisu: quin more leonum
Invadunt omnes: æternis ictibus urgent
Immensam stragem, totóq: evertere fundo
Sudant stercoreos duo castra furentia colles.
Bellicus hinc aries pulsúq; irâq; perenni
Irruit, infracto contundens mœnia cornu:
Nec modicum innumero respirat lassus ab ictu:
Verbere perpetuo ferales excutit iras,
Non cessaturus nisi quassâ mole triumphet.
Ipsum continuo jurares fulmine muris
Incubuisse Jovem: vastóq; in valla tonitru
Iratos arsisse polos: nova prælia tanto
Assultu furúsq; tonant: & perpete pulsu
Insultant vallis, quatiúntq; tumultibus hostem.
Hunc ad fulmineum valli ingemuere Gradivum,
Stercorei tremuere globi: quin cœpit hiulcis
Triste latus rimis & multo vulnere scindi:
Hinc atque inde gravi disrumpi tergus hiatu,
Diffindi costas, ac intestina patere
Ilia: & incusso divelli y) chasmate venter.
Audiit ut miles moti suspiria valli,
Et molem tremuisse videt: victoria clamat:
Intremuit; gemuítq; hostis: victoria fratres!
Nunc miles tremulos urge violentior hostes:

Acrior

y) Chasma seu hiatus.

Acrior incumbas: & fulmina plura gementi
Incutias: plenâ titubantem impelle ruinâ,
Dixerat: herculeo rursus ruit impete turba:
Intonat in Cœnum hostilésq; è stercore muros:
Qualis centimanus populanda in castra z) Typhœus
Irruit: & timidum tota vi dissecat hostem.
Territa ad horribilem tunc propugnacula Martem
Ingemuere iterum; suspirantíq; fatentur
Singultu: æternum se non tolerare tumultum
Posse: tot horrisonis cogi succumbere bellis.

Pars sexta.

Demum aggeres variis in locis plenè evertuntur ne vestigio sui relicto.

ERgo victori succumbit gleba Gradivo:
Fissa gemit, nutat, cedit, veteríq; coacta
A statione migrat: toto dispergitur agro;
Funditur immenso mera a) glarea lubrica rure:
Ut pulvis tenues tandem disparet in auras.
Quíque olim vallus conjuncti fœdera Martis
Atque intentati totum certaminis æstum
Riserat: & salsis explosit bella cavillis,
Nunc in putre chaos, putum nihilúmq; recessit.
Brunsbuttellanum qui vicum muniit agger,
Jugera qui vallus per Ditmarçensia currit,

 Quæ

z) Typhœus, nomen gigantis. a) Glarea, arena parvis lapillis mixta.

Quæ Neuhuſanos, Ritzbütlenſéſq; per agros,
Quæ Kedingenſes, Hadelenſes valla per oras
Ducuntur, fuerántq; Albi præſtructa fluenti
Quaſſantur penitus, fundo everuntur ab imo,
Et demum tenuis pereunt per nubila fumus:
Nec ſpecies, quicquámve rei ſuper arva remanſit.
Jurares totam tonſura novacula molem
A terra abraſit, glabrum mentúmq; remiſit.
Ut tamen hæc inter furibunda tonitrua belli.
Magni juſſa Jovis meritum ſibi pondus haberent:
Permanſit conſtans aliquot ſtationibus agger:
Et tantùm flebat crudelia verbera Martis;
Centeno ruptas plorabat vulnere coſtas,
Diffiſsúmq; ſinum, & ſociæ divortia glebæ.

Pars ſeptima.

Proſtratis vallis, unda magno ſpatio in agros irruit.

TUnc aqua, tunc liber rejectis fluctus habenis
Quà valli patuere fores, eſtractáq; clauſtra
Indulſere viam, vaſtos ruit impete toto
In campos, ſpatio ſpumas ingente marinas
Explicat: & longo fuſus per jugera tractu
Latè ſtagnabat: Thetidos *b*) pomœria ſalſæ
Auget, & eſt æquei magnum Jovis incrementum.

CA-

b) Pomœrium, idem prope quod limes.

CAPUT decimum.

Segetis, jumentorum & hominum sub mersorum clades.

Pars prima.

Ceres fruge hybernâ stratâ lamentatur.

SEd miseranda Ceres mox lamentante camœnâ
Insonat, ingenti deflens sua funera luctu.
Námq; siliginei jam mortua munera campi
Spectat, sperati cladémq; necémq; videbat
Hordei, & illapso populari à flumine farra
Triticeósq; mori salso sub vortice culmos.
Spem messis cernit fractam lusósq; labores
Agricolæ, & vacui præsagit tormina ventris.
Ergo ruunt lacrymæ: torrentis more per ora
Currunt, irrorant segetis miserabile funus
Vúltq; Ceres fleto freta facta augere fluento.
Excutit augustos sacro de vertice cirros:
Fronte rapit peplum, pendénsq; à tergore syrma
Abjicit, æterno contundit pectora planctu:
Immensisq; polum pulsat pontúmq; querelis.
His demum exululat lamenta furentia rhythmis.
Quid Ceres quæso sceleris patravi?
Aut mali, Nereû tibi quid paravi?
Quo tuam læsi malè cauta gentem
quóve tridentem?

Rura

Rura quòd mergas rapidis procellis:
Et tuis fruges laceres duellis,
Has meas terras penitúsq; vertas
messe refertas?
Triticum cernis moritur sepultum
Sub tuis undis: nequit ulla vultum
Spica sub grandi pelago levare,
tutáque stare,
Hordeum marcet, jacet enecatum,
Fluctibus ponti periitq; stratum:
Sal tuus culmis miseris adhæsit
omnia læsit.
Quassa per campos cecidit siligo.
Unda vah! quantæ necis est origo!
Nulla frumenti potis est amica
crescere spica.
Farra quæ quondam mea dextra sevit,
Multa spes quorum populum replevit,
Sunt ab his campis aqueis abacta
totáq; fracta.
Quóque converto gemebunda vultum
Obviat clades: segetúmq; multum
Funus occurrit video ferinam
mœsta ruinam.
Dic meum crimen fere Rex aquarum,
Hostis & latro segetum mearum:
Quod scelus nostrum est ita puniendum,
strage luendum?
Hoc scio quasvis fugitura tricas
Sæpe do pisci pelagóq; spicas,

Sæpe

æpe delphinis mea farra dono
fercula pono.
Ergo cur vertis mea latro prata?
Fruge quæ jamtum fuerant beata.
Cur agris cladem ſegeti'q; cudis
fluctibus udis?
Lethifer Nereû! repeto meorum
Damna regnorum: pretium laborum
De tuo juſtè repeto tridente
arva ruente.

Pars ſecunda.

Neptunus Cererem ſolatur: promittendo futurum brevì, ut fluctus ſuos iterum avocet: & fore poſtea meſſem ſolito ampliòrem: eſſe hæc imperia Iovis Albis tractum punientis.

SOlatur mulcétq; tamen Deus ipſus aquarum
Mœrentem Divam: permitte, piiſſima, dicit
Inſanire tuis modicùm Neptunia regnis
Æquora, & immiſſos iſtic confligia fluctus
Ludere: promiſſos acies ut aquoſa triumphos
Felici demum poſſit meruiſſe duello.
Siderii ſunt juſſi Jovis: quibus æquora circo
Hoc in ſpicigero ſtagnant, & prælia certant.
Quod ſi cara Ceres aut una aut altera fluxit
Hebdomas: antiquum fluctus retrahentur in æquor,

Nativósq; sinus: madidi nec militis una
Gutta super totum cerealem manserit orbem.
Postea triticeus claro thesaurus honore
Stabit agris, & divite luxuriabit aristâ:
Cætera per campos undabit messis opimos
Implebitq; solum: dulci sub pondere totus
Sudabit fundus, certus tot spicea nunquam
Imposuisse suo divos donaria tergo:
Omne tuum vincet frumenti copia votum.
Nunc aliquos permitte tuo Dea rure furores.

Pars tertia.

Multæ merguntur oves, quarum fata c)
Pales in viciná ripâ deplorat.

ERgo ubi diffuso per prata immania ponto
Rura sub æquoreo stagnabant mersa tridente,
Plurima jumenti, pecorísq; gregísq; caterva
Circumfusa mari salsos natat anxia fluctus:
Pósiq; graves luctas, decertantésq; tumultus,
Turbine gyratur deno, rapidóq; deinde
Gurgite glutitur, varióq; fit hostia pisci.
Vidi ego: lanigeræ tondentes pascua turmæ
Cùm subitis merguntur aquis: mox lana per æquor
Grande natat: multámq; salem conspersa bibebant
Vellera, ad impactas villus circumvolat undas.
Grex ovium sudat forti luctamine pontum
Rumpere, & iratum studet evasisse tridentem:
Hinc pedibus pulsat spumas, hinc æquora caudis
Vasta

c) Pales, Dea pastorum.

Vaſta ferit, canas hinc dividit ore procellas,
Et quo Marte poteſt, findit Neptunia rura:
Ut queat optatas ripæ contingere metas:
Correptúmq; ſalem ſiccatis pellere lanis.
Sed gregis innocui colluctantíſque labores
Fruſtrabat Nereûs, fruſtrabat acerbior Auſter,
Fruſtrabat jactus multis Aquilonibus imber,
Et Borealis hyems, & mixta furentibus undis
Tempeſtas, cumulóſq; vomens ſalis *d*) Amphitrite
Sæpe etenim undoſi ſurgunt ex æquore montes
Et cono aſtrigeram tundunt Erymanthidos urſam:
Qui rurſum ſubitò tota cum mole relapſi
Incumbunt agnis, tumulant cum fluctibus hœdos,
Contundunt capros, gyrant quatiúntq; capellas.
Et tritis animas extis vitámq; revellunt:
Donec ovis rupto pia deglutitur hiatu.
Oppoſito gemebunda *e*) Pales in littore ſtabat,
Et latrocinium ſpumis ſuperantibus hauſtæ
Inſpectabat ovis: mœſto cùm plurimus ori
Fletus ineſt: plenóq; fluit pia lacryma rivo:
Hoc demum verſu vult egeſiſſe querelas.
Ah! oves, noſtræ pecudes tenellæ!
Vos greges campi miſeræ capellæ!
Agmen agnorum! moriens meorum
turba caprorum!
Vos quot infauſtos feriunt flagella!
Quanta concuſſos agitat procella!
Qualia hoc ponto toleranda bella!
quanta macella!

Jam

d) Amphitrite, Dea maris. *e*) Pales, Dea paſtorum.

Jam venit fluctus pecudésq; gyrat:
Jam furens Caurus mera fata spirat:
Jam natans salso nigra phoca stagno
irruit agnó
Quod meus crimen grave grex patravit?
Quem maris piscem caper hic necavit?
Agna quam salpam, lubicrúmve *f*) mullum
læserat ullum?
Crimen ignorat meus ille cœtus;
Neminem mordet caper ille lætus;
Nemini irasci valet agna mitis
nescia litis.
Quæq; tam furvæ est nigra turba lanæ,
Candidam mentem niveámq; planè
Hac sub atrata gerit illa veste
æthere teste,
Ergo quid Nereû laceras phalangas
Criminis mundas? fera monstra frangas:
Sanguinis fusi rea bruta tundas
cladéq; fundas.

Pars quarta.

Generosissimi & præstantissimi equi magno numero fluctibus hauriuntur.

Intereà multus, ponti exundantibus iris,
In medios rapitur fluctus mortémq; caballus.
Magnanimo freta vasta quidem secat ille labore:
Intrudénsq; toros discerpit pectore spumas:
Calci-

f) Mullus, genus piscis.

Calcibus impactis, undosa pericula frangit:
Infractisq; animis vult occurrisse tridenti
Dum grandi terras & littus anhelat in æstu:
Quadrupedes fortuna tamen sudórq; fefellit:
Nec potis est undis equus erupisse natando.
Pugna procellarum, borealia verbera Cauri,
Et spatium furiæq; maris, fregere caballum,
Intrepidos fregere animos, spem, robur, & ipsam
Denique fregerunt incusso gurgite vitam.
Nam nando lassus, centeno fulmine quassus
Cogebatur equus sese permittere Cauro
Indomitóq; freto: ternis ergo orbibus actus
Subsidit victus, vastáq; voragine mersus
Indignabundo vitam cum murmure ponit.
Et quod in his fatis fuerat tristissima clades
Plurimus insignes armósq; torósque, jubásq;
Excellens tollebat equus. Clarissima celsæ
Majestas frontis, spatiosi pectoris amplum
Scema, & totius pulcherrima gratia bruti
Excivit crebros in spectatore stupores:
Et vivos domini sæpe accendebat amores.
Pars dum pernicis ludit certamina cursûs
Veloci certabat avi, celerémq; columbam
Proxima consequitur: jurares ipsus Apollo
Pegaseas dederit brutis properantibus alas:
Pars dudum Marti, Martísq; tonantibus armis
Assueta indomitas spirabat Martia flammas:
Dúmq; feræ sonuere tubæ, dum classica Martem,
Dum litui indicunt pugnam: tunc erigit aures
Acer, & exultans frontem quassátq; vibrátque:

Conce-

Conceptq; ignes, & totis ilibus hausit
Magnanimum Martem: mox vult se sistere campo:
Et cum laurigerâ è circo rediisse coronâ.
Pars tam pomposo sese jactabat honore:
Jupiter ut claros spectans aliquando caballos
Dixerit: hæc sunt digna meis jumenta quadrigis
Dum volo divinis mundum percurrere rhedis.
Sed tamen occumbunt: vortex absorbet equina
Agmina: sub salsis generosa hæc gloria spumis
Emoritur: tristem reperítq; sub æquore tumbam.

Pars quinta.

Nobilissimi tauri unà cum aliis animalibus frequentes merguntur.

VIdi ego cùm creber natat æquora grandia taurus:
Per vastos trudit g) palearia pinguia fluctus:
Suspirátq; agros, & nudas gurgite ripas.
Sed frustra: frangunt aquilonia bella bisontem:
In centum gyros cornuta hæc agmina torquent:
Donec bos imâ raptus mergatur abysso:
Aut scopulo illisum rabies dirissima brutum
In sua frusta secet: toto palearia ponto
Spargat: & in cunctis abdomina seminet undis.
Quid memorem mixtos fluitâsse agnósq; lupósq;
Conjunctos canibus lepores, sociásq; natâsse
Vulpes & gallos, feles cum muribus unâ
Perrexisse viâ quâ nantes littora tangant:

Neç

g) Palear, pellis ex gutture boum dependens.

Nec tamen hostili quenquam contendere morsu.
Nam debellârat veteres mors proximâ rixas
Ossáq; mox uno condebat mersa sepulchro.

Pars sexta.

Multi homines ex omni genere in his exundantibus aquis pereunt.

SEd nec ab Æolis, aquisq; fuere duellis
Immunes homines: horum grandæva senectus,
nfantile genus, fortisq; in bella juventus,
Par Nymphis virgo, generosior Hectore miles,
Herculeus Milo, pubes studiosa Minervæ
Atque alius multus cano dignissimus ævo
sternitur, & forti postqam certamine ponto
Obluctatus erat, demum glutitur iniquo
Æquore & undisonis fit præda miserrima monstris.
Heu mihi! quas clades hominum! quæ funera tabo
Horrida, in irato contundi vortice vidi!
Heu prope ad has clades calami mihi cuspis hebescit:
Officium turbata manus negat: æqua papyrum
Lachryma percurrit: mens ad fera fata vacillat.
Sed mea musa tamen compesce parumper amaros
Hos animi fluctus, conturbantésq; dolores;
Donec glutitos ploret mea nænia manes:
Et lamentanti solvam funebria metro.

Pars ſeptima.

Duo infantes matre è ripa ſpectante merguntur.

POntUs ab iratis toties aquilonibus actus
Illapſu horribili ruit in rurale mapale:
Atque ibi corripuit geminos ad ovile puellos:
Involvit ſpumis, tundítq; quatitq; rapitq;,
Et demum in medias ſpolium puerile procellas
Abripit, & crudo tenerum par vortice gyrat.
Mater fata videt geminæ triſtiſſima prolis:
Vicînámq; necem, pontíq; immanè furentis
Fulmina, mox geminum certò mactantia partum
Ipſámet inſpectat: nam littora proxima ſcandit,
Suggeſtúmq; petit, teſtis quò certior eſſet
Cladis & æquorei merſa pro prole ſepulchri.
Ut videt, horreſcit, pallétq; tremitq;, rigétque:
Ubera contundit, lachrymato ſtillat ab imbre,
Et cœlum & terras ululante furore replebat.
Sed tamen eſt fixum, furiis mortiſq;, fretiq;
Infantes rapuiſſe ſuos, & reddere patri
Dilectam prædam. *Pietas ad grandia cogit*
Aſt nec lembus adeſt, ſcapha nulla in littore ſtabat:
Nec trabs, nec linter, nec cymba vel ulla reperta
eſt,
Per bacchabundas quâ mater tranſeat undas:
Caurus diſpulerat, naves diſcerpſerat Eurus.
Ergo terribiles nando fregiſſe procellas
Ardet, & ad proles vult adrepſiſſe natatrix

Nec

Nec tantos mirere animos *scis magna frequenter*
Urget amor, mortisq; diu discrimina risit.
Hinc ter in invisas collo tenus insilit undas:
Incubuit ter prona freto, ter brachia jactat
Diffindens fluctus, nandi tentátq; laborem.
Sed semper subsidit anus, quæ nere sciebat;
Nare ignorabat. Boreas violentior ori
Incussit fluctus: gelidas levat Æolus undas
Et fronti impellit. rigido quatit ubera pulsu,
Frangit & herculeum magni tentamen amoris.
Ergo coacta redit: majoréq; littora luctu
Concutit, & valido resonat per stagna rugitu:
Ut catulis sævire solet leo mœstus abactis,
Quos frustra inquirit sylvas scrutatus & antra:
Dum celer clusit deceptum prædo leonem
Deposuitq; suis spolium rugibile claustris.
Stat supra ripas mater, clamore fatigat
Aëra, & insulso littus boreale boatu
Pulsat, ut ad streperos paveat ripa ipsa dolores.
Evellit crines, direptat ab ubere vestes:
Huc illúcq; volat: ripam decurrit eandem
Et quater, & decies: nec quid faciátve, velítve,
Ipsa scit: incœptos rumpunt freta quando labores.
Interea infestus centum in glomeramina ventus
Pignora circumagit, milleno turbine gyrat
Jam jam vel ponto vel ponti pisce voranda.
Spectat hians mater, lachrymis ut flumine manat:
Vixque suî compos manet ad tam triste theatrum:
Quin prope lethalis matrem tunc conficit horror,
Dum prolem pelagus, Boreas, & monstra necabant.

Illa tamen palmas ad conſcia ſidera tendit,
Et Divos gemitu, planctúq; ululante laceſſit.
Ah! ſuperi clamat ſuperi miſereſcite prolis!
Eſt inſons ſoboles mundiſſima crimine vita eſt:
Angelicis candor nil vult concedere turmis.
Teſtem juro Deum: modici neq; criminis umbram
Unquam centoculus deprenderit ipſémet Argus.
Ergo quid inſontes necat hæc laniena puellos!
Cur hæc tempeſtas, cur illa tonitrua Cauri,
Cur ponti rabies frangúntq;, terúntq;, vorántq;
Inſontes animas, omni de crimine mundas!
O ſuperi! (furvum fas non eſt poſcere Ditem)
O ſuperi! tanto pueros revocate macello.
Vix ſic inſonuit: cùm grandi turbine mugit
Æolus, & centum prolem contorquet in orbes.
Tunc genitrix: ſuperi; quæ vis ſævum excutit æquor!
Hic vorat horribilis cariſſima pignora gyrus.
Ah! jam ſubſidunt, noſtrìſq; avellitur infans
Infelix oculis, imâ ſorbendus abyſſo.
Ah! nunc æquoreo proles ſunt prandia tauro,
Squamoſóq; cani: jam dentes phoca cruentos
Illidit ſoboli, puerili ſanguine vaſtum
Abdomen ſaturat, paſcitq; hac clade furores.
Ah! infelicem tam dira in ſtrage parentem!
Ah! quid in has clades, quid in hoc crudele ſepulchrũ,
Ah! quid in hoc genui vos mater mœſta macellum!
Cur lucem vitámq; dedi, quam clauderet iſta
Et pelagi & Boreæ, brumaq; ſevera tyrannis?
Vix dixit: ſobolem pontus vortèxq; dehiſcit:
Umbra nec exilis gemina de prole remanſit.

Labitur

Labitur exanimis mater, gelidúsq; cucurrit
Per fibras horror: truculentæ mortis imago
Stát toto vultu; puerósq; secuta sub umbras
Creditur: admotis donec persusa medelis
Paulatim vitam recipit sensúmq; diémque.
Sed pòst, deliquio semper resoluta ruebat,
Suggerit infaustam dum forsan mentio stragem.

Pars octava.

Duo conjuges (appellemus Phyllidem & Daphnin) dum foris spectant, & mirantur affluxum aquarum, subitò à tergo ab aquis circumfusi, pereunt in undis se mutuò amplexi.

DAphnis triticeo stabant & phyllis in agro:
Æquoreiq; stupent spumantia jurgia ponti
Neptuniq; iras, aqueiq; tot ardua circi
Prælia, & excitos frendente tridente tumultus.
Nec modò uterque stupet; sed & indignantur: & iras
n bacchabundum pergunt effundere Numen.
Crude Deus, grandis per aquatica regna tyranne,
Daphnis ait: rursum tundis quo verbere mundum!
Quas furias effundis atrox! quæ bruta tridente
ulmina detorques! quam ludis pegmate scenam!
nmensum nunquid rursus convellere mundum
lens est? & veteri mersos cum montibus agros
ontumulâsse chao? discerpere fluctibus orbem?
: cunctis vivis unum fabricasse sepulchrum?
ne tuas caperate minas, & mitior ora

Da populis: nil nos tua ſpumea juverit ira;
Indignabundo dum ſic infrenduit ore
Daphnis, & excuſſum Phyllis conſentit in œſtrum:
En venit à tergo Nereûs: tacitiſq; rotatur
Fluctibus, & totus ſpumis fluvialibus adſtat
Non obſervatus: par connubiale patenti
Involvit ponto: plenis circumrotat undis:
Et ſubitò ad ſuperum tranſcendunt æquora pectus,
Atque ipſas intrare gulas, & frangere vitam
Tentant, & celeri mactare cadavera ponto.
Ergo præcipiti Phyllis Daphniſq; volatu
Contendunt rediiſſe domum, ſe ſiſtere ſiccis
Ædibus, & factâ fluctus depellere flammâ.
Sed negat hoc Nereûs, furcâq; tricuſpide cœptum
Frangit iter, vaſtos opponens undique fluctus,
Opponens pontum: pontiq; immania monſtra
Opponens propero freta per furioſa labori.
Rumpit uterq; quidem manibus pedibúſq; procellas:
Et vult jam nando, jam percurrendo furentes
Evaſiſſe æſtus & ſiccas prendere ripas:
Sed caſſus ſudor: fruſtrat calidiſſima dirus
Vota tridens, cujus ſtagna exundantia juſſu
Immenſo ſpatio jam bacchabantur in omni
Jugere: & innumeris confligia aquatica campis
Certabant; terras veluti convertere ponto
Vellent: & tantùm Neptunia furca ſub axe
Deberet toti leges indicere mundo.
Tam vaſtum pelagi tractum ſuperare natando
Ipſémet æquoreus poſſet diffidere Triton.
Spes ergo ſubmerſa jacet; nec littora fatum
Indul-

ndulget miſeris: Daphniſq; ad Phyllida verſus
hylli fer auxilium clamat: clamantis in ora
rrumpit vortex, jacto ſale guttura complens:
Daphni juva Daphni inclamat perterrita Phyllis:
ed lacerant medias ſtagna incurrentia voces:
Et fractos gemitus tumulat ſub fluctibus æquor:
Nec ſinit ulteriùs per verba ſonantia amores
Poſcere, & auxilium vicina in morte vocare,
Ergo unus reſtabat amor: jam mundus & æther
Expectant avidi, quid fax hæc ſancta parare
Vellet, & attonito dare quæ miracula cœlo;
Certè magna dedit: nam prendere ſtringere juſſit
Compartem ſocialis amor: dare brachia circùm
Pectora, & æterno complecti corpora nexu.
Quin fecit geminos coaleſcere pondus in unum
Támq; arctè ſtrictum quævis ut fulmina vincat.
Hoc pondus vaſtis agitatum volvitur undis
Tempeſtate tamen nexus non ſolvitur ullâ:
Per medias pelagi pondus circumvolat iras
Sed firmum conſtánſq; ſibi dum calce *g*) biſontes
Et cornu pulſant: dum percutit ungula phocæ:
Dum furcâ Nereûs, dum tundunt impete monſtra:
Dum ferit undiſono furioſus fulmine pontus
Vinc'la priora manent: ſuperat fera prælia nexus.
Subſidit demum: vitam non vincula ponit.

 Pars

g) Biſon, taurus ſylveſtris.

Pars nona.

Hymenæus hoc amoris conjugalis vinculum è nubibus spectans, insultat propemodum Neptuno, ut qui omni sua vi hoc vinculum non potuerit rumpere, nec hanc amoris facem omnibus suis undis extinguere.

Motus ab hoc ludo tam pulchri Hymenæus amoris,
Extulit è nimbis frontem: spectacula lætis
Contemplans oculis, visus infigit in illud
Quod tunc sancta fides & amor mirabile drama
Lusit, & æquoreâ dederat spectabile scenâ.
Quin stetit attonitus, mirantia viscera raptus
Corripit ecstaticus: Numen tam pulchra theatra
Abripiunt, miráq; Deum dulcedine replent.
Et quasi vellet Hymen lusso insultare tridenti:
I Neptune, inquit, silices & marmora frange:
Frange per immensos vel ahenea mœnia pulsus:
Integer hic nexus vel te frendente superstes
Permanet: & ridet, dum tu per mille ferocis
Prælia, & impulsum tentas convellere mundum,
Certus ad hos nodos quod in æquore bella fatiscant.
I Neptune ferox, Ætnæi busta camini
Te deleturum per stagna potentia jacta:
Quin phlegetonteæ nitrata incendia caulæ
Immisso demens præsume extinguere ponto:
Hæc tamen hæc stabit fax connubialis amoris:

Eludet pontum, & ponti ridebit ad æſtum:
Ad nullam rabiem, parvam amiſſura favillam:
Quin quò plus ponti Nereûs affundit & iræ:
Altiùs excreſcit, trahit ipſo à flumine vires:
Majores aqueis deſumit ab hoſtibus ignes.
Utque oleum nutrit flammas, dat pabula buſto,
Quando ſuo ſiccos ungit de ſumine truncos:
Sic ſacer ille ignis medio ſua pabula ponto
Invenit, & creſcit ponti creſcente procellâ.
Hìc tu jam victum Nereû fateare tridentem,
Victricémq; facem, victorem cordis amorem.
Da jam Flora roſas, da candida lilia Chloris:
Da cunctos Pæſti, da cunctos veris honores:
Unde triumphales fabricâſſe *b*) brabeuta coronas
Poſſim: ac florigero connubia comere ſerto.

Pars decima.

Menalcas aquis obrutus, conſcendit ornum, ſed quam eruit violentior unda: ille prenſam conſtanter tenet arborem, eiq; velut equo inſidens innatat undis, ſed frigore, fame, horrore demum enectus.

POntus fulmineo ferme velocior igne
Obruerat ruri findentem ligna Menalcam.
Ille ſuos propero dum talos flumine merſos
Cernit, & infuſis ſpumantia jugera rivis:
Prudens vicinam ſubitò ſe librat in ornum:
Injicit in primos celeri ſe turbine ramos:
Inde apicem ſcandit, ſuperóq; in vertice celſus

b) Brabeuta, eſt præmiator.

Conſtitit: & tutum ſuper hoc ſibi ſpondet aſylum
Culmine: in allapſum jamtum ſarcaſtica pandit
Ora fretum, cœpitq; ipſum ridere tridentem
Neptuni, & motos quater exploſiſſe tumultus
Temnimus audacter, quo tuti vivimus, hoſtem
Sta bene: dicebat, firmis radicibus orne!
Sta bene! ſis miſeri tu vîta ſalúſq; coloni.
Sta bene! nec quicquam moveare tyrannide ponti:
Cortice durato ferientem frange tridentem:
Rejice Neptunum: riſus victúſq; recedat
Ille Deus: palmam forti deſperet in orno.
Juro per infernum Ditis lemurúmq; barathrum:
Herculeo quod ſi deluſeris æquora trunco
Neptuníq; iras poſſis contemnere victrix
Appendiſſe tuis certum eſt *i*) anathemata ramis:
Déque triumphali conſpergere brachia flore:
Quin etiam in trunco ſculpam hoc miracula verſu:
Ponti fregit aquas, Neptuni prælia fregit,
Hæc victrix ornus, riſitq; immota tridentem.
Audivit tumidum Neptunus & unda thraſonem,
Iratúſq; Deus mordacibus ille cavillis
Illotóq; metro, & fœdi gannitibus oris
(Nam nimium Divos quæcunq; calumnia mordet)
Inſtitit ingenti ſua probra retundere bello:
Et clade authoris petulantem plectere linguam.
Ergo infinito truncum quatit arjete Nereüs:
Innumeróq; freto convulſam contudit ornum,
Evellitq; ſolo, dum primis irruit armis:

Inde

i) Anathemata, ſunt dona.

de hostem stratum super æquora turbida jactat;
gyros agitat, ludúmq; jocúmq; marinis
bjectat brutis, risum & ludibria toti
sse facit ponto, pontiq; in gurgite monstris.
dicit Nereus! jam nostra tonitrua ride;
Trunce ferox, nostrúmq; explode miserrime Martem,
Undique jam risus post clades ipse futurus.
Victricem nescit victor Neptunius ornum.
I e putrem palum tenui discerpimus œstro:
Unicus est certè satis in tua funera fluctus.
Quódq; tot impactis nunc fregi ligna procellis,
Non vires fecere tuæ: nec aheneus ursit
Ilia circumiens cortex, aut robore quodam
Fulta rebellantis fortasse audacia fagi:
Sola sed has turmas Neptunia gloria jussit:
Ut tibi monstrarem, quæ plurima copia nostro
Militet imperio: quantúsq; exercitus uni
Neptuno subsit, pro nostro fulmina nutu
Torquens, & quemvis lacerans in frusta gigantem.
I nunc infelix! post fata miserrima trunce,
Dic Neptunus ovat: dic illius arma triumphant.
Sed quid in his fatis noster facit ergo Menalcas?
Hac quid clade parat? quid strato tentat asylo?
Ille sedet trunco, sedet ille immobilis orno,
Ut generosus eques solet insedisse caballo,
Quo vagus in patulo cœpit discurrere campo.
Dextra sinistra simul prostantes stipite ramos
Ut sua frena tenet, virides quos ille lupatos
Dimittet nunquam se quomodocunque rotârit

Ligneus hic k) Æthon pontum perfringere tentans,
Tibia ad arboreum defluxit utrimq; caballum:
Crura simul geminis sunt adstrictissima costis:
Suráq; l) Panticibus connexa est utraque duris,
A quibus haud ullo fuerit vellenda tumultu.
Dúmq; colonus eques dorsum super incubat illud
En tibi quò ponti, quò Cauri turbo volebat,
Cyllarus agricolam vectat novus ille Menalcam:
Ligneus in medias volitat jam n) pegasus undas:
Jam relegit ripas, & terræ proximus hæret:
Nunc iterum flexus repetit vada salsa o) veredus:
Jam subsultanti surgens p) asturco labore
Effert fonte jubas, vultq; incessisse tolutim:
Tramite jam recto currit: jam q) Rhœbus in orbes
Volvitur & centum fabricat super æquora gyros:
Jam tardus graditur; pigræ jam tempora damnans
Lenta moræ, præceps vult exæquare volando
Pegaseas alas, missam superare sagittam
Tentat, & ad celeres accedere primus alaudas.
Non tamen ad frænos velut ad præcepta jugalis
Flectitur ille novus; variámq; hanc æquore scenam
Ludit, & innumeris mutat spectacula formis:
Sed mare, sed ventus, sunt hujus regula ludi:
Utq; fremit, tacitúsve silet, surgitve, cadítve
Æolus & pontus: variis sic ille figuris
Ludit equus, pelago toties proscenia vertit.

Non

k) Æthon, equus Pallantis, etiam solis. l) Pantices, inferior venter. m) Cyllarus, equus Pollucis. n) Pegasus, equus alatus. o) Veredus, equus celer. p) Asturco, equus tollutarius. q) Rhœbus, equus Mezentii.

Non tamen iste Phlegon valet excussisse Menalcam:
Hic sedet immotus, manibus ramalia prendit:
Nec vult hos vivos unquam dimittere frænos
Fortiter adstringit lumbos, nullósq; veretur
Subsultus, gyrósve sui cursúsq; caballi.
(Cogit ad ignotas mors proxima sæpius artes)
Sed nimio miserandus eques cotunditur hoste:
Hìc pulsat Boreas, Neptunus verberat istîc;
Hîc glacialis hyems æternâ grandine tundit,
Et gelidâ nimium cor tempestate flagellat:
Inde premit terror: quatit ilia lethifer horror:
Exta fames aliquot jam roserat atra diebus:
Et sitis in mediis urebat multa procellis.
Ergo tam multo concussus ab hoste Menalcas,
Succumbit fractus: frigus lethale medullas
Intrat, fatalis rumpit præcordia bruma,
Expellitq; animam. Arboreo glaciale cadaver
Mox defluxit equo, fundum pontiq; subivit,
Unde adeat manes furvo ductore Charonte.

Pars undecima.

Mopsus cum totâ suâ familiâ noctu irruentibus in casam copiosis undis submergitur.

CAula stetit ruri junco malè tecta lacustri:
Imperiúmq; casæ tunc Mopsus herile tenebat:
Et super uxorem vetulam, gemináſq; puellas,
Quinque super porcos, binos sine cornibus hœdos,
Gallinas, anatésq; decem, jactabat inanes
Hic rector fasces, sæpe intractabilis Hector.

Affluxit

Affluxit ſubitò pelagus, totúmq; mapale
Fluctibus implevit: tecti vix extima reſtat
Ex undis facies, ſic omnia pontus habebat.
Tota domus ſtertebat adhuc ronchóq; ſonoro
Oſtia pulſabat, tremuitq; à murmure limen.
Irruit in lectos pontus: freta barbara ronchos
Frangunt, & ſubito replebant vortice fauces,
Præcludúntq; viam voci, vitámq; ſeverâ
Barbarie evellunt, compléntq; cadavere caulam:
Nec quicquam vivi ſub ſtramine paupere linquunt.

Pars duodecima.

Mille circiter homines pereunt fluctibus hauſti.

QUin paſſim vaſtis homines in fluctibus errant:
Luctantúrq; diu, findúntq; ruúntq; procellas:
Centum cum crudo tentant certamina ponto:
Sed labor eſt vanus: felix victoria Martem
Deſerit: hæc nullus ſequitur poſt bella triumphus.
Eſt victor Nereûs, victrix pelagiq; tyrannis:
Hæc magnas animas atque ævo perpete dignas,
Hæc parvas cunas & adhuc agitabile pondus,
Hæc dites inopéſq; ſimul dimittit ad atros
Umbrarum campos complétq: acherontica *r*) tranſtra
Mille per immanes ſubmerſis *s*) manibus undas.
Obſtupuitq; *t*) Charon, celeri tanta agmina curſu
Umbrarum volitare ſimul, nec ſaucia plagis

Nec

r) Tranſtra, ſcamna in navi *s*) Manibus, à manes manium. *t*) Charon, portitor infernalis.

ec tabo fœdata ſinum, nec ſanguine fuſo
orrida, nec ſœvâ membrum truncata bipenni;
ec reſti concluſa gulas, nec ſulphure nigrum
ſta latus, piceis etiam non fumea nimbis.
docuit donec myſteria fortè ſybilla:
unc nimbum umbrarum frendente ſub æquore
mer ſum
atè exundantem periiſſe recenter ad Albim,
anc pœnam juſto Jovis expoſcente furore.

CAPUT undecimum.

Quædam prodigia ex hac aquosâ tempe-ſtate enaſcentia.

Pars prima.

ormoſiſſimus infans, in ſuis cunis adhuc dormiens natat in undis, & mirabiliter enatat.

Unda procelloſo per rura vagata fragore
Invadit ſternitq; gravi magalia Marte:
ut ſi quod ſignum voluit liquiſſe favoris
lvatis utcunque caſis, quod mobile tecto
venit, hoc pleno rapit, ejicit, excutît œſtro.
n jacet in cunis parvus ruralibus infans
dulgétq; ſuis tenero ſuper anſere ſomnis.
ons puero cœleſtis erat, quam gratia comit
urima, & innumero Charis exornabat honore.
irares Charitum ſedéſq;, torúſq;, thronúſq;

Infantis

Infantis frons est, quâ dulcia gaudia ludant,
Pulchráq; formosi decoris miracula vendant.
Jurares, quòd diva Venus, quòd Juno, quòd Hebe
Nectare sidereo, pupillas lavit & *u*) hirquos,
Bináq; perfudit divino lumina lacte:
Tam blandos oculus pueri spirabat amores.
Utque solet rigidum magnes inflectere ferrum
Et durum tacitâ chalybem virtute movere,
Sic oculi infantis multâ dulcedine raptant
Spectantem quemvis, & dulci in amore resolvunt.
Os, guttúrq; meri sedes suavissima mellis
Perpetuò ambrosiam teneris de faucibus halat:
Vocéque cum balbâ & multúm titubante loquelâ
Eloquitur, miscétq; suis sua nectara verbis.
Jurares: Diana suam pulcherrima formam
Hoc posuit vultu, proprii puerúmq; decoris
Fecerit hæredem, quo vult radiare per orbem:
Inter olympiacas quando micat ipsa sorores.
Jurares: vultum suavissima Chloris in illum
Omnia contulerit miracula florea *x*) Pæsti:
Et veris vernantis opes: monstraret ut illa,
Quàm possit dulcem disponere prodiga pompam.
Jurares illos Jdeo in culmine vultus
Si Pari vidisses: Veneris tunc causa bilance
Nutâsset dubiâ vix obtentura triumphum.
Quid tamen! infaustas vix se mare trusit in ædes:
Cùm cunas, puerúmq; rapit, medióʃq; per æstus
Volvit: & ingenti quatit incunabula pulsu.

Infans

u) Hirquus, angulus in oculo. *x*) Pæstum, nomen celebris horti.

Infans in tenero ſed adhuc ronchizat olore:
Et forſan gerulam cunas hoc turbine forti
Commoviſſe putat, cantúq; vocare ſtrepenti
Somnos, & ſtabilem per membra tenella quietem:
Cùm tamen has cunas pontus gyraret & Eurus:
Et grandi baſſo mortem tumbáſq; boaret
Auſter, ab infantis nihilum dulcedine motus.
Ergo hæc divinæ dulciſſima gratia frontis,
Formæ hoc prodigium, comptíq; hæc gloria vultûs
Jactatur pelago, bacchantibus innatat undis:
Sidereúſq; infans in mortis faucibus hæret.

Pars ſecunda.

Monſtra marina, venuſtate infantis abrepta, non audent evertere cunas.

UT cunas & grande decus portenta marina
Attonito ſpectant oculo, dulcedine proſis
Squamea molleſcit jecur implacabile turma:
Brutales ponit furias, atque exta liqueſcit.
Non audent aquei cunabula vertere tauri:
Effrenes calcem non illiſiſſe caballi:
Non cetus, non phoca ferox arrodere dente:
Ipſe nec incuſſo puerum mactare tridente
Nereûs, pro vitâ ſpecies tam pulchra perorat.

Pars tertia.

Arethuſa, marina Nympha, caput è procellis efferens, videt ſuaviſſimum hunc infantem, & mirè capitur ejus pulchritudine.

En

EN minitabundis Arethusa è fluctibus effert
Blanda caput: formam, puerumq; vidétq; stupétq;
Et liquefacta sinum canit hos rivalis amores.
Quæ mihi occurrit facies decora!
Diva num vultum subit ipsa flora?
Ipsa num Juno micat hoc in ore
hoc in honore?
Nil sedet vultu nisi splendor unus.
Abripit sensus speciale munus.
Nonne divinæ mihi visa planè
ora Dianæ?
O decus formæ! tibi quæ serena
Apta cantandæ fuerit Camœna?
Quæ'ue te posset cecinisse Phocis
nectare vocis?
Stabit, & plectris tacitis hiabit
Turba Musarum: decus approbabit,
Sed pari versu cecinisse cultum
nescia vultum.
Hoc decus furto raperem libenti:
Regiâ nostrâ tegerem liquenti.
Millies os hoc ego suaviarem,
semper amarem.
Sed tamen nolim: scio quod sub undis
Spiritum & vitam mea lux profundis:
Absit: haud tantum decus enecabo,
haud populabo.
Quin ego salvum puerum repono
Littus ad siccum: sobolémq; dono
Integram matri: dabo te parenti
munera flenti.

Pars

Pars quarta.

Ꞁrethuſa Nympha marina cunas cum formo-ſiſſimo puero ad littus deducit.

DIxerat: & propriâ trudit cunabula dextrâ
Per medios Arethuſa lacus, per prælia ponti,
Thetidos fulmen, per Neptuniq; tridentem,
Cetorum iras, portentorúmq; furores,
brutorum ungues, panſos ricúſq; ferarum,
mortis fauces, & per millena ſepulchra:
:áq; ad optatas trahit incunabula ripas.
m quædam ſquamoſa pecus diſtendit hiantes
cladem buccas, & toto corpore ſpirat
mineas iras ſtragémq; parare timetur;
mpha pecus mulcet, brutum intractabile dextrâ
idens palpat, multùm blandita minaces
:rtit calces aliò, dentéſq; guláſq;
rnuáq; à nimiis dudum jam trunca duellis:
dulcem puerum panſo furatur hiatu.
:q; dum multo tumefacta procella tumultu
ouerum totam tentat profundere molem:
npha iterum fluctum palmâ radente pererrat,
igat iratum: mulcendo attemperat œſtrum:
nponitq; undas undæq; pericula frangit.
Automedon qualis dextrâ blanditus & ore
lentem componit equum: dum Pegaſus ejus
citrat horribilis, multóq; feroce rotatu
nonſtrat rabiem, frænos calcéſq; rebellis

M Excu-

) Automedon, auriga Achillis.

Excutit, & patulas flagrat volitare per auras:
Quem tamen Automedon dextrâ palpante caballum
Vocéq; delinit blandâ: nec desinit ante
Quàm demulcendo motos sopiverit ignes:
Et brutum placidos demum mansuescat in usus.
Sic Arethusa suo crudos z) popismate fluctus
Mitigat & lenit: donec tam suave per hostes
Avectet spolium, tutaq; reponat in orâ.

Pars quinta.

Infanti cum cunis ad ripas feliciter adducto dicit Arethusa amorosum vale,

Atque ubi deposuit: pueriq; in littore ronchos
Securos audit, cernitq; pericula fracta,
Elusásq; ipsas mortis feliciter iras:
Dicit amorosam fugitura Arethusa salutem:
Dicit triste vale, postremos, dicit amores:
Hócque suo metro fletu & singultibus udo
Pectoris affectus & dulces egerit ignes:
Atque abiens veluti monumenta suprema relinquit,
I vale, clamat, speciosa proles:
Lucidos vincit tua forma soles:
Cœlico vultus radiat decore
dignus amore.
I vale, & terræ super arva splende:
Has ibi dotes charitésq; vende:
Hoc decus quivis oculus stupebit,
quando videbit.

I vale,

z) Popysma, palpatio qua equi demulcentur.

I vale, & formam geris ore qualem
Fabricet lanam tibi Parca talem:
Ut quadrent ſemper tua fata puræ
cuncta figuræ.
I vale, & pontum fugias rebellem:
Hæc habent iram freta perduellem:
His caput ſpumis ubi credidiſti,
jam periiſti.
I vale, & matrem properans require,
Quæ cupit certè tua fata ſcire:
Fluctuum dices furiis abivi,
morte redivi.
I vale, & patrem recrea gementem:
Ob tuos caſus, tumulóſq; flentem:
Patris optato gremio quieſce,
lude, caleſce.
I vale, & ſemper memor eſto Nymphæ
Fluctibus quæ te tumulóq; lymphæ
Extulit ſalvum: ſtitit abſque proſâ
ruris in orâ.
I vale, & vincas ſenium ſybillæ
Pérque Septembres gradiare mille:
Nulla te carum feriat tyrannis
omnibus annis.
I vale, ad noſtras redeo ſorores:
Te meos linquo fugiens amores:
Méque jam rurſus tumulo profundis
æquoris undis.
I vale, hoc uno pia Nympha plaudo:
Et meas ſortes aliquando laudo:

Te quod hac vitâ puerum beârim
morte levârim.
I vale, has cunas lachrymis inundo:
Inde me ponti tumulabo fundo:
Nunc ave rursum decies, tenelle,
vive puelle!

Pars sexta.

Fama ad matrem refert, salvum in littore stare cum cunis suum infantem: quæ multùm exultabunda, ad littus advolat.

INterea celeri per rura & compita plausu
Fama volans salvas narraverat undique cunas:
Et salvum puerum tutos in littore ronchos
Ducere, ab æquoreo nil fati vortice passum.
Audit ubi genitrix salvum bene vivere pignus
Undisonis raptum monstris: in littore matrem
Expectare suam: matrísq; ambire petitæ
Oscula, & amplexu suspendi velle paterno:
Obstupet: & nescit, streperæ num credere famæ
Debeat: aut dictis animúmq; fidémq; negare.
Sed tamen è gremio linum, lanámq; repellit,
Parjete suspendit rhombum: procul ejicit ulnis
Et fusum & glomus: veluti calcaribus actus
Pergit anhelanti per jugera plurima cursu
Acer equus donec liceat consistere metâ:
Talis anus volitat, veterémq; oblita senectam
Littora dicta petit: prolem suspendere collo
Ambit:

Ambit: & affectus nato saturare recepto.
Utque videt puerum: magnos pia gaudia fletus
Excutiunt: veluti si prolem mergere rursus
Vellet plorato post æquora victa fluento.
Dúmq; parum flendi tantus deferbuit æstus:
Grandiáq; inclusam laxabant gaudia vocem:
Sic ait: & cunctis fundit sua jubila venis.
O puer vivis! teneóne natum?
Tot meis votis calidis vocatum?
Te meum pignus, veterémq; molem
affero prolem?
O puer vivis; meus ipse partus!
An meos Morpheûs habet ater artus?
Qui tuis umbris, speciéq; ludat?
somnia cudat?
O puer vivis! cecinere raptum
Te maris monstris periisse fractum
Fluctibus ponti, putridum profundis
esse sub undis.
O puer vivis! sinè te gemebam:
Lachrymis semper genitrix madebam:
Sola lugendi fuerat cupido
flere libido.
O puer vivis! mihi quis reduxit
Auream prolem? mihi quanta fluxit
Gratia, amplexu queo quando gratum
stringere natum.
O puer vivis! fuit ille Numen?
Prole qui venit spoliare flumen:

Nympha vel quædam fuit, aut piarum
una Dearum?
Hic fuit quisquis: Jove cum sacrato
Nectar æternum bibat in beato
Cœlitum prato, celebris polorum
pars superorum.

O puer vivis! veniens marinis
Integer spumis, veniens ferinis
Salvus à monstris, veniens ab atro
fortè barathro.

O puer vivis! mea cara pende
Sarcina à Collo. Mihi pulchra vende
Oscula: amplexus mihi nate præbe
auree Phœbe.

O puer vivis! resonent choreæ
Totius pagi saliant plateæ,
Plectra jam dulcis tua tange *a*) Clio
Insonet io!

Affer in ludos tua Bacche vina:
Nectara infundas modò transmarina:
Cæcubum magno Cicerone natum
undique gratum.

Pars septima.

Mater ob receptam prolem celebrat cum agrestibus amicis domi hilaria.

SIC cecinit: streperúmq; melos centena sequuntur
Oscula centenis infans constringitur ulnis:
Et

a) Clio, una Musarum.

t frons centenâ mulcetur eburnea dextrâ
[ec ſaturare poteſt lætiſſima mater amores:
)um ſalvum puerum ponti mortiſq; recepit
'ulmine, & obtentum ſupra ſua brachia ſpectat.
:rgo prope immenſo gremium repleta triumpho
ndicit plauſus, indicit gaudia pago,
ndicit choreas, claro fluitantia Baccho
?randia, & egregiæ convivia pinguia pompæ
Indicit celebranda domi. Vicinia ludis
Ardeat: & reſonis jucunda tumultibus aura
Rideat, atque hilares ſtupeant ad jubila ſylvæ;
Natales pueri juvat inſanire ſecundos.
Muſa mihi fas ſit ruralia ſcribere verſu
Fercula, & in quales menſalis gloria claſſes
Diviſa, obtulerit lætis ſua gaudia caulis.
In menſæ medio ſtat ſtannea vaſta paropſis,
Vimineúmq; ſuper ſurrexerat altior orbem,
Et bene conditam lanx hæc complectitur offam,
Quam coqua de nuper *b*) molita confecit oryza,
Vináq; & Eoi perfudit cinnama mundi.
Ad dextram illatus jejunam invitat orexin
Porçinus petaſo, binis jam rancidus annis,
Fartáq; taurinis longiſſima carnibus exta,
Diviſúmq; caput ſcrofæ, lixóq minutal,
De tauro ſectum. Lævam vitulina gravabant
Fercula, & egregi ſecta ilia pinguia capri:
Et genialis anas lento lixata lebete:
Cúmq; ſuis rapis bene coctus agreſtibus hœdus.
Fronte ſtetit menſæ faba turcica, ruſtica piſa

 Sumi-

b) Molita, ſecundâ brevi à molo molere.

Suminc craſſa ſuis, cum perna cocta trienni:
Adſtat tunſa diu multúmq; affinis aceto
Braſſica, juniperi baccâ compoſta frequenti:
His fuſcum reſpondet olus, cui paſcuus anſer
Fiſſus ineſt, & de pinguedine mitigat herbam.
Plena adſtat coctis duplex artocrea gallis.
Interea fixi verubus torrentur ad ignes
Anſer caſtaneis fartus melioribus alvum,
Capo ſaginatus, coctóq; á paſſere plenus
Trojanus porcus, menſem *c*) meleagrides unum
Ingluviem paſtæ, duplex vitulináque coxa:
Succedent epulis aſſa hæc convivia primis.
Poma, pyrum, raphanus, juglans, hortenſia pruna,
Intibus, & cucumis menſas fecere ſecundas.
Largáq; betuleis bibitur cereviſia trullis:
Quin & Bacchus adeſt: proſtat flavóq; rubróq;
Ore Deus, plenis *d*) Evan fluit ille diotis.
Æternum vivat ſub junco & ſtramine clangit:
Vivat de furiis raptus fluvialibus infans.
Vivat: neſtorios puer egrediatur Apriles.
Hoc ſpolium vivat: dulciſſima præda procellis
Rapta maris vivat felix per mille Decembres.
Feſta triumphali ſaltantur jubila tecto
Ipſaq; fumabat per mille choragia tellus.
Echo læta juvat repetitq; effuſa cachinnos
Acceditq; choros reſonis hæc ſimia metris.

Pars

c) Meleagris, gallus indicus. *d*) Evan, eſt Bacchus.

Pars octava.

Vehementior unda, ad latera agri paulo elatioris allapsa, penetrat subtus agrum, cùmque à continenti avulsum cum domo & arboribus elevat & velut navem gyrat.

CAmpus erat cubitis longus latúsq; trecentis:
Rustica supposito bina ille mapalia tergo
Portat & ingentes quercus, pomósque pyrósque
Sustinet, arboreo longè cultissimus horto.
Ad latus in vallem pronum defluxerat arvum:
Hinc velut in collem campus montanáque surgit
Culmina & erecto spatiatur in aëra dorso.
Ad declive latus furibundo miles aquosus
Advolitat cursu: radices collis anhelo
Verbere contundit: repetitis ictibus hostem
Urget, & impugnat: vim multam effundit in ista
Mœnia, & eversis vult tantùm abscedere muris.
En tot post furias, fluctus tres nactus hiatus
Rure sub impulso penetrat: subtérque cavatum
Ingerit, intrudit se pontus turbidus agrum.
Mox totus campus pelago assurgente levatur:
Ad latus oppositum connexâ avellitur orâ:
Cúmque suâ veteri patitur divortia sponsâ
Abruptúsque natat: veteri natat ornus in agro:
Utraque caula natat, totúsque in fluctibus hortus
Volvitur, impacto factus gyrabilis Austro.

Jurares jussis jovis omnipotentibus, esset
Et domus & campus natitantem versus in e) Argo.
Ergo ratis salsas sulcabat terrea spumas;
Utque flat incursans in carbasa quercina Caurus,
Sic nova per quasvis agitur corbita procellas,
Séque stupescit ager, nec scit quibus ille magistris
Currere jam norit celerésque æquare sagittas:
Qui quondam nulla fuerat commobilis arte.

Pars nona.

Qui ager cùm diu natâsset, demum refluentibus undis, noctu subsidit proximus ad ignoti Palæmonis fenestras, eique diurnum lumen aufert.

SIc veteri portu, sic primâ sede relictâ
Provehitur ponto campus, septémque per horas
Vastæ more ratis ventis borealibus actus,
Pulsus, gyratus, varios contortus in orbes,
Per noctis pelagíque chaos contingit agreste
Stramen, & ignoti rurale Palæmonis antrum;
Hæsit ibi, donec demum refluentibus undis
Sidit ad attonitas istic terrena fenestras
Argo: cúmque novâ, celebrat, connubia glebâ.
Quæque super pandam stat quercina sylvula f) stlatam
Arcet ab infausto solare Palæmone lumen
Exortúmque diem, matutinúmque g) phlegonta.

Inte-

e) Argo nomen navis. f) Stlata panda navis. g) Phlegon solis equus.

Interea longa tumulatus nocte Palæmon
Phoebi expectat equos pigrescentésque quadrigas:
Increpat assiduis tardantem *h*) Hyperiona votis,
Urgeat incussis lentum *i*) Pyroënta flagellis:
Advehat ut tandem flammas, lucémque, diémque:
Atque has concubias diffringat in ignibus umbras.
Ut tamen in lecto vicinæ ad vitra fenestræ
Se vertit, quærítque diem solémque Palæmon:
Nocturnus squalor furvúsque nigrantibus horror
Sedit adhuc rhombis: nihil est reperibile solis:
Æternum tandem chaos execratus & umbras,
Indignabundâ pulvinis exilit irâ
Et testudineum vult demum poscere solem.

Pars decima.

Palæmon egressus foras miratur novum agrum, domos, & arbores suis fenestris proximos.

UT nares effert antro, quercúsque, domósque,
Idque recens arvum propriis accumbere caulis
Aspicit, unde suo via facta sit învia phœbo:
Et tremit, & pallet, nec quo sit cardine mundi
Scire potest. Dubitat num non sit machina terræ
Versa, vel impulso quid tandem evenerit orbi.
Unde lares isti, plantatus hic arbore campus
Unde venit? clamat: Ditis quæ furva Megæra
Huc tulit hanc molem? sub quonam vivo *k*) coluro?
Quâ

h) Hyperion sol. *i*) Pyrois solis equus. *k*) Colurus cœli circulus.

Quâ regione loci? populos quos tango propinquos?
l) Oedipe, te posco, tu cœca ænigmata solve.

Pars undecima.

Damon (sic liceat appellare) natantis agri dominus, mirantem palæmona edocet: esse hoc miraculum Neptuni, cujus aqua impetu allapsa sub agrum penetraverit, eúmque levaverit & â continenti abruptum, huc velut navem super aquas detulerit.

EXcepit Damon, (sic appellare licebit)
Hìc nova Neptuni miracula cerne Palæmon:
Ille suo hoc monstrum dominante tridente creavit:
Ille hujus miræ faber, inventórque carinæ est.
Nam dum grandisonus concurreret impetus undæ:
Sub campum penetravit aqua, erectúmque levavit:
Qui natat ut navis, pro velis quercubus usa:
Huc donec compulsa fuit: refluentéque ponto
Subsidit tandem, & vestræ confinia caulæ
Eligit, hoc portu nunquam ripísque movenda.

Pars duodecima.

Palæmonis, & Damonis altercatio dum Palæmon agrum, qui adnataverat, sibi vendicat, usus hoc juris axiomate, qui in alieno fun-

l) Oedipus, nomen vatis.

fundo ædificat, domino fundi ædificat: Damon verò titulo justæ emptionis agrum suum esse asserat. Re igitur ad tribunal delatâ adhuc sub judice lis est.

SAt bene, ait, post hæc portenta relata Palæmon:
Sat bene: sed totus cum caulâ atque arbore campus
Est meus: hanc nostro fortuna piissima juri
Adjecit villam: nam sic sententia Baldi
Insonat: ædificans alieno mœnia fundo
Ædificat fundi domino, pomœria demens
Augmentavit *m*) heri, cui soli hæc cura laborat.
Attonitus Damon, ad aratra occásque stupescit
Doctorem Baldum: sed & hæc sua sensa reponit.
Hic meus est fundus nostróque ex ære coëmptus:
Cúmque meo in fundo sint illa mapalia structa:
Nil juris fortuna tibi, mirive favoris
Fecerit: ex veteri nostra est possessio lege.
Mox alter: quondam proprio gurgustia fundo
Struxeris: at nostro nunc ponens omnia rure,
Utcúnque invitus tamen huc ad nostra tulisti
Jura tuam villam: Baldi sic pulpita dictant.
At Damon inquit, non hic mea prædia nostræ
Deposuere manus: vel me ringente tumultus
Huc tulit æquoreus, tempestatésq; severæ
Æolii patris: queat hæc quis pellere fata.
Tum prior: ergo dabo hoc totum; te styx ve Deúsve
Huc tulerit: tulit ille simul mihi grandia damna:
Nam

m) Heri, herus.

Nam nostris est pulsa Ceres hinc annua sulcis:
Magnáq; decessit nostræ farrago culinæ.
Hinc aut tolle tuum campum quercúsq; domósque
Damnorum fontes: nostro vel vindico juri
Omnia: sed streperis cùm tantum jurgia verbis
Clamarent ambo: res est Minois ad urnas
Allata: atque illo nunc hæc sub judice lis est.

CAPUT duodecimum.

Aquæ post inflictam sufficientem pœnam refluunt.

Pars prima.

Neptunus hominum & jumentorum; stragem cernens insultat miseris, & jactat suam potentiam.

ERgo triumphali jam turgidus ilia fastu
Neptunus, frontem bacchantibus exerit undis,
Discurrítque levi super æquora spumea (n) thensâ
Utque homines, mortémq; simul per grande natantem
Conspexit pelagus: ter circùm tempora gyrat
Terribilem furcam, ter verbere stagna flagellat
Ter se fluctivago totum circumrotat arvo:
Atque hæc atroci furibunda tyrannide metra
Ejicit, & clausas animo simul expuit iras.

I more

n) Thensa, rheda.

I morere infelix turbo! da perfide pœnas.
Non tibi fas fuerit fummi mandata tonantis
Frangere, & æthereas jovis explofiffe fecures,
Imperiíq; facros divini fpernere fafces.
Ille fuum fceptrum, majeftatémq; polarem,
Et frænos, legéfq; datas vult effe per omnes
In pretio gentes: vult ille timore & amore
Obfequióq; coli: quæ fi præftare recufas
Officiúmq; negas: ignes patiaris & undas,
Fulmineúmq; jovem, collidentéfq; furores.
I morere infelix turbo! da perfide pœnas!
I nunc! atque aliis tua narra exempla fcelestís,
Narra exundantem latè per jugera pontum:
Obtritam narra Cererem, tumulatíq; falfo
Mille armenta freto: narra juvenéfq; virófque
Fluctibus abforptos, numerum mirante charonte:
Et pondus verbis fufo potes addere fletu.
Dic fimul: horribilis caftigat Jupiter ultror:
Dum gens depuduit: dum fubditus impius effrons
Ejicit ore *) lupos, fuperófq; è corde repellit,
Excufsítq; jovem, dominásq; rotare fecures
Arrogat ipfe fibi, vix lege domabilis ullâ.
I morere infelix turbo: da perfide pœnas.
Si non vult proprio Deus ille tonare furore:
Nos nos vindicibus faciles fuccurrimus iris:
Nos nos cœleftes noftro de fulmine flammas
Supplemus prompti: temptum, rifúmq; Monarcham
Ultores rigidi noftro Mavorte tuemur.
Hinc tot ego merfi, pelagúfq; â clade replevi.

I mo-

*) Lupus, pars fræni.

I morere infelix turbo! da perfide pœnas.
Disce jovis sceptrum, nostros quoque disce tridentes;
Disce utriúsq; iras, & jussa sacrata vereri
Fata rebellantis stratæ lugubria gentis
Sunt iratorum vindicta cruenta Deorum.
I morere infelix turbo! da perfide pœnas.
Sic sterno & macto: quæróq; in strage triumphos:
Eruo victrices alieno è funere lauros.

Pars secunda.

Neptunus tantam cladem cernens, quantam Jupiter dictaverat, mandat Tritonibus, ut novo & mitiore concharum & tubarum sono exundantes aquas ad veteres maris sinus revocent: quod illi faciunt.

SEd tamen ut tantam cernit periisse phalangem:
Quantam sidereus dictaverat ipse Monarcha:
Stentoreum Tritona vocat: melioráque mandat
Classica pacifero resonare per æquora cantu:
Et tandem finem crudis indicere bellis.
Ergo novos lituos, conchâ meliore paratos,
Mansuetíque soni, sumit de parjete Triton:
Inflat dulce metrum, suavi ferit aëra cornu:
Et reducem mugit pacem, positásque Gradivi.
Iras, sopitum composita per æquora Martem.

Pars

Pars tertia.

Fluctus & venti agnoscunt paciferas Tritonum tubas, redeúntque ad sua claustra.

MOx in spumigero fluctus ventíq; theatro
Agnoscunt sonuisse novum, nova murmura Bassum:
Murmura pacificis blandè clangentia conchis:
Murmura condendæ tandem bona nuntia pacis:
Murmura ventosus quibus æquoreúsq; strategus
Abjecisse iras, fulmen deponere mandant,
Inque suâ veteri caput occuluisse cavernâ.
Nec mora: mandanti parebant agmina conchæ.
Abjicit ergo iras fluctus, spumámque severo
Ore lavat: primos jubet excessisse furores,
Componítq; animos, & blandâ fronte renidet,
Tranquillo placidam linquens super æquore pacem:
Imos ipse sinus, maris abdita claustra petebat,
Aspera pacato mutans ibi bella sopore.
Sic pariter posuere minas & fulmina venti:
Extendunt oleas, vexilláq; candida pacis:
Antiquúmq; omnes claustrum Boreale revisunt,
Blanda soporiferis ubi stertunt prælia ronchis.

Pars quarta.

Terretur iterum Ceres ob bellicas & onerarias aliásque naves, in suis agris post dilapsum mare relictas.

QUid tamen? ecce novum Cereris miserabile vulnus,
Et nova fata Deæ: subitis per cornua jussis
Dum freta nativas repetunt undantia ripas
Excedúntq; agris tremulóq; in jugere sidunt,
Subsidit dispersa simul per pascua classis:
Et refluente vado campis infixa remansit.
Ergo illo fractæ sederunt rure celoces:
His super attonitis hæsere *p*) monoxila campis:
Illo stat navis prope lasso bellica prato
Hoc horto lembus, jacet illo oneraria sulco,
Hoc agro pristis, linter, scapha, quassa biremis;
Cymba, vel attritis sedit *q*) corbita carinis.
Utque Ceres tot monstra suo jam lignea regno
Sentit, & impositâ frangi sibi tergora classe:
Lamentis iterum terras aurásq; fatigat:
Ubera contundit gemitúq; & flente querelâ
Fata gemit: metris sic indignantibus infit:
Quid mihi cum remis, transtris *r*) hypagine pristi
Cum

p) Monoxilum, navis ex una arbore excisa. *q*) Corbita navis oneraria. *r*) Hippago navis pro equis transvehendis.

Cum pandâ s) ſtlatâ, puppi pontone liburnâ
Heu mihi! quid noſtris portenta hæc quercina campis
Cerno, quid in Cereris ſpectra hæc immania regnis
Ante oculos volitant? mihi frangunt ilia larvæ:
Deliquio ſolvor, dum prodigialia ligna
Incurrunt oculos: nam cor mihi vulnere rumpunt.
Quis Deus hæc noſtro jam tollet pondera tergo?
Jupiter omnipotens, ſi qua eſt pia gratia cœlo:
Monſtra velis noſtris hæc nautica pellere ſulcis.
Sed fruſtra: frangi naves, & tota reſolvi
Compages, centum moles in fruſta ſecari
Debuit: ex illo queat ut diſcedere mundo.

Pars quinta.

Jupiter e cœlo videns dictatam pœnam executioni datam, breviter & nervosè monet tractum Albis.

TUnc rurſum ætherea ſupremus Jupiter arce
Exerit immortale caput: viſúq; per Albim
Diſcurrens avido, ſceleri dictata nefando
Funera perluſtrat cladémque examinat orbis
Auſtralis, juſſáſq; Aquilonis & æquoris iras:

 Utque

s) Stlata navis lata & panda. t) Priſtis navis longa & anguſta.

Utque videt ſtragem quâ tritus concidit agger
Quâ fruges, multiq; lares, armentáq; ſtrata,
Quâque homines ſalſis perierunt mille ſub undis:
Et ſic punitum ventis & fluctibus Albim
Ut jovis offenſi merita indignatio juſſit:
Torvus adhuc, & fronte minax, ſic turbidus inquit:
I nunc Albi ferox! juſſúſque explode Tonantis:
Sic tero, ſic frango, ſic macto rebellia monſtra:
Effundóque iras: populus dum fræna recuſat.
Nunc ictus ſapias: redeat poſt funera ſerus
Sed verus virtutis amor: ſint regula morum
Juſſa jovis: totis ſedeat tibi Jupiter extis.
Dixit & aſtriferos clauſit cum murmure cœlos.

LIBER
SECUNDUS.

MUSA
FUNEBRIS.

MARTIS ET BELLONÆ, NEPTUNI ET NEREIDOS LUCTUS,

Quo

ILLI PERDITAM GENUINAM PROLEM:
HI RAPTUM SUI ALBIS STRENUUM
DEFENSOREM
deplorant

IN OBITU

PERILLUSTRIS EXCELLENTISSIMI
GENEROSISIMI HEROIS

JOANNIS SIGISMUNDI DE FUCHS

SUB
POTENTISSIMO SERENISSIMO DANIÆ ET NORWEGIÆ

REGE

FRIDERICO IV.

GENERALIS MAJORIS

Glückstadii ad Albim

GUBERNATORIS.

LUCTUS MARTIS
Ob
perditam genuinam prolem
in defuncto
JOANNE SIGISMUNDO DE FUCHS.

AD quid luctisonum gemebundi pectoris æstum,
Ad quid mœsta mei suspiria mille doloris
Claudo in visceribus? teneóq; sepulta sub imo
Pectore? ab interno rumpantur ut exta tumultu.
Quin dolor erumpis? patulum quin aëra planctu
Concutis, & strepero resonas per compita lessu?
Nam gravis est clades, sunt fata gravissima Martis,
Digna gravi gemitu, querulo dignissima luctu,
Digna meis lachrymis, ululantéq; digna furore.
Fuchsius ecce etenim cano dignissimus ævo,
Fuchsius armigero verus de Numine sanguis
Concidit, & mœstum jacet intrâ mœnia funus.
Membra gelu stupefacta rigent: stat luridus ore
Pallor & exsangui fugit omnis gloria vultu:
Atque ingens anima everso de corpore rapta est.
Mors nostræ insultat soboli: mea viscera prædam
Raptat,

Raptat, & in nostro latro facit ille triumphos
Stemmate, de Martis saturans sua tela cruore.
Ite mei gemitus! imis lamenta medullis
Ite! & mavortem phœbo, Ditíque, Jovíq;
Dicite plorantem. Carus mihi Fuchsius ille
Semper erat natus; cui nostros sæpius ignes
Ipsémet ingessi; nostróq; ego pectus ab œstro
Implevi decies; dixisses Hectore in illo
Ipse habitat Mavors; hinc quando ad prælia turmas
Ille Sigismundus stricto trahit armiger ense;
Ignis erat totus: currit sacra flamma per omnes
Artus: & grandi rapit in certamina pulsu
Totum hominem; Forti tunc martia gloria vultu
Stabat, & ex oculis scintillæ utrisq; ruebant:
Belligeros toto ructabat ab ore furores:
Entheus in cunctis infrenduit artubus ardor.
Sive ergo educto meditatur fulmina ferro:
Seu de bombardâ nitratos excutit ignes,
Flammiferásve vomit tormentis mille procellas:
Aut aliam forsan super hostica tempestatem
Castra trahit, totúsq; suo trux incubat ensé:
Ille suum patrem (me Martem) spirat in omni
Munere: & haud spurium tanto de Numine natum
Se probat. Æneas (stygiæ nigra regna paludis
Adjuro) Æneas non acrior induit arma:
Non tonuit graviore manu fortissimus Hector:
Ipse nec Alcides ardentior ivit in hydram,
Intrepidis quando trux monstrum contudit iris.
Vidi ego (adhuc recreat clarissima scena Gradivum)
Vidi ego: dum longo clangentia tympana tractu,

Curváq; rauciſono dum claſſica multa fragore
Ad ferale vocant peditémq; equitémq; duellum;
Et jam terribili centum tormenta boatu
Pugnæ præludunt, acuúntq; in bella phalangas:
Vidi ego: ſubſiliit, multóq; *a*) choreumate plauſit
Fuchſius: & variis interna tripudia ſignis
Prodidit: in lætâ reſident mera gaudia fronte:
Ore micat riſus: totum ſua jubila corpus
Fabricat: ad feſtas velut interluſor arenas
Curreret: aut epulas conviva vocatus adiret:
Aut forſan facili *b*) Dipſas ſpectanda theatro
Et *c*) phorbas Mopſúſve forent: ſua ludicra quando
Vendunt, & lepido ſuſpendunt pegma *d*) petauro.
Ipſe ego ſubriſi: pugil invictiſſime dixi:
Macte animi: fatis nunquam melioribus ibis
Ad palmas, quàm quando per ardua & aſpera lætus
Curres, & multis eludes dura cachinnis.
Utque acies hoſtilis adeſt: nitróq; ſalutat
Undique: & adverſas dextras ſtricto enſe laceſſit:
Ad circos hilari volat imperterritus ore
Fuchſius, & rigidos opponens enſibus enſes,
Heroëm ſeſe monſtrat Martiſq; *e*) ſtolonem.
Ore tamen tunc riſus abeſt: ſed flamma per omnem
Bellica mox currit vultum: mox entheus æſtus
Cunctis erumpit membris, & martius ignis
Corpus agit, dextrámq; urget: ruit impete grandi
Per medios cuneos, gladiata per agmina, & ipſas
Per

a) Choreuma, ſaltus. *b*) Dipſas, nomen ruſticæ. *c*) Phorbas, mopſus ruſtici. *d*) Petaurum, ludus lepidus. *e*) Stolo, idem quod ramus.

Per fauces mortis; temnítq; pericula magno
Cuncta animo: qualis ſcythicis leo barbarus arvis
Irruit in tauros, curvatáq; cornua ſpernens,
Armentíq; minas explodens, omnia vaſtat,
Et grege direpto victores erigit ungues.
Hìc ſubit egregium facinus, quo noſtra ſtupentem
Suſpendit mundum proles. Miracula gentis
Commeminiſſe juvat: mœſtum capit inde medelam
Vulnus, & infeſti miteſcent fortè dolores.
Mœnia bellator premit Hamburgenſia Danus:
Urbs animoſa ſimul ſpartámq; arámq; tuetur.
Ex oppugnatis circùm undique plurima muris
Flamma volat: laxata ſuam tormentáq; peſtem
Ore ſpuunt: ignéſq; vomunt, jaciúntque, pluúntq;
Ferratas glandes, longáſq; ex ære catenas.
Dixiſſes: cœlum ſolitas non ampliùs undas
Depluit, ingenium mutat: ferrúmque, nitrúmq;
Excutiet pluvio mutatus Jupiter axe.
Quid tamen! O dolor! O nimium miſerabile fatum!
Unus tormenti globus igneus irruit iſtuc!
Fuchſius heroas ubi congerit arduus iras,
Séque parat pugnæ, meditatáq; vulnera ſignat
Colliimans ſclopo; fera, barbara, ferrea peſtis
Currit ibi in noſtram prolem; proſternitur illo
Igne Sigiſmundus: rapidâ bacchata phreneſi
Glans femore avellit plantam, ſpoliátq; cadentem
Magna parte ſui. Volat iſtuc acta per auras
Tibia, & in ſociam tenui cum murmure ſuram
Indagat, ſtupuítq; ſuæ divortia carnis.

Horruit

Horruit ad crudum primò Dux belliger ictum:
Obstupuítq; globum, flammæ rabiémq; nitratæ.
Utque latus truncum, raptámq; â corpore prædam
Aspicit: ingemuit, fateor, modicísq; querelis
Invidiam accusat sortis; durámq; novercam
Fortunam queritur, quæ nunc pro munere pœnam
Irroget immerito; tamen ut se colligit Heros,
Atque animum revocat; fratres, patientia, dixit:
Tibia fracta quidem; tamen est mea martia virtus
Integra; nec noster bellator spiritus ullâ
Parte suî læsus: veteres quin ille favillas
Intactas retinet: rursúmq; subîsse palæstras
Ardet, quas acri liceat certare caballo,
Hos quando claros pedibus fortuna labores
Invidiosa negat. Quin nunc in corpore trunco
Et pede direpto, plenæ circumfero testem
Virtutis fideíque: mihi est pro f) stentore vulnus,
Infractos animos muto quod prædicat ore.
Hoc super est: ubi plaga g) Machaonis arte coivit
Acer eques pugno. Mihi tu pater optime Mavors
Pegaseos aliquot conserva in bella caballos.
Dixerat: & me tunc sanctissima vota movebant.
Tu mihi, dicebam, post hæc mihi filius esto:
Ipse pater tibi ego fuero, Bellonáq; mater,
In te magne Heros mea splendet & ardet imago:
Ex fronte ex oculis, manibus, pedibúsq; Gradivus
Erumpit totus: mihi tu dulcissima proles.
Tu nunc fama veni! nostríq; encomia nati
Divul-

f) Stentor, est præco. g) Machaon, nomen medici.

Divulga, *h*) Eois ubi Cynthius exit ab undis,
Lassus & occiduas ubi Phœbus inire procellas
Assolet, ut toto resonet sacra gloria mundo.
Et mea vota simul Dano retulisse Monarchæ
Accelera: sanatus Sigismundus ut urbem
Glückstadium regat; atque istic moderator ad Albim
Imperet: hoc parvo solamine mulceo plagam.
Quid tamen! ah! conjux dolor, & furor *i*) ilia rumpunt.
Jupiter, ah! nostras quo fulmine concutis aulas!
Vix annis aliquot præclaro cuncta *k*) lupato
Glückstadii frænat moderator Fuchsius; Albim
Defendit, civémque tegit, vallósq; tuetur,
Hostem arcet muris, oppresso præbet asylum:
Ecce venit Libitina ferox & stamina scindit:
Heros emoritur, gelidus collabitur Hector
Ingentémq; animam proavorum mittit ad umbras.
Heu dolor! heu quanto quassas mea viscera pulsu!
Heu dolor! heu quali Mavortem vulnere frangis!
Iliacos pyliósq; simul transire per annos
Hic Dux debuerat, canámq; æquare senectam,
Sæcláque multa jovis: natum tamen impia Clotho
Ante diem rapuit: diro demessuit ungue
Surgentem florem, nostróq; extraxit ab ipso
Cruda sinu. Vah monstrum immane cruentum!
Excutit emplastrum vulnus: dolor intima rodit
Ilia

h) Eoæ plagæ, id est orientis plagæ. *i*) Ilia, ilium viscera. *k*) Lupatum, & lupatus frœnum.

Ilia, & afflictum tundit per *l*) tormina pectus.
Siquid habes Bellona boni, quo fortè maritum
Solari possis: ne differ, prome, fatiscit
A[illegible]u Mavors in tanti funere nati.

LUCTUS BELLONÆ
Ob
perditam genuinam prolem
in defuncto
JOANNE SIGISMUNDO DE FUCHS.

GRadive, conjux optime, Deorum decus,
Et nostra vita: vulneri emplastrum petis,
Lachrymísq; poscis spongiam: ut cladem feras
Raptúmq; pignus æquior: at omnem fugit
Malum medelam: nescit in tantâ modum
Dolor furórq; strage: mihi rupit prope
Luctus medullas: planctus infringit latus,
Mœrórq; lacerat viscera, & vitam abripit:
Illa illa quando tumba, ferali horrida
Piceáq; peplo, Fuchsii exuvias tenens
Menti recurrit. Concidit totum jecur
Ad hoc theatrum: nec manet sui potens

Atto-

l) Termina, plur. num. dolores viscerum.

Attonitus animus, ſcena dum triſtis redit.
Scis quale ſidus, decore quàm claro micans,
Ipſis vel aſtris æmulum, extinctum jacet,
Furváq; ſqualet nocte, dum nigras adit
Fuchſius ad umbras, penitus egreſſus ſolo.
Scis quàm coruſcum martiæ gentis jubar,
Quàm dulce nomen, quale delicium ſoli
Veſpillo condat, fiat ut nigro cinis
Pulvíſque tumulo, dum ſepulchralem ſcrobem
Magnus ſubivit Fuchſius. Vah quas vices
Fortuna ludis! quo procelloſo quatis
Turbine Gradivum! Dúmque tam clari Ducis
Mea Muſa cantat decora; graviori dolor
Sinum momordit dente, graviore impetu
Repetunt negatum vota. Pauliſper tamen
Compeſce fluctus mœror: ut tenui chelys
m) Odâ parentet filio, & laudum metro
Matrem patrémq; mulceat. Quid? an ſopor
Mentem fefellit? & ſuis Morpheus jocis
Ludit cerebrum? Fuchſius velut novus
Rhadamanthus adſtat: ponderat multo ſuam
Labore libram, quicquid injuſtum foret
Pepuliſſe certus. Somnia haud ſenſus gravant:
Res eſt, & ipſa veritas. Recti tenax
Æquíq; ſemper Fuchſius, vixit velut
Rhadamanthus alter, ſemper & fas & nefas
Trutinans eâdem lance. Quò cauſæ trahunt
Deprenſa merita Fuchſii ſemper bilanx
Propendet illuc. Fulmen irarum nequit

Moviſſe

m) Oda, cantilena.

Moviſſe libram: tonitrua minarum ruunt
Fruſtra in ſtateram. Barbaro licet flagro
Furat tyrannis ipſa, non tamen trahet
Quò vi volebat judicem: ſed nec favos
Et mella vendens *n*) palpo, fulgenti licet
Oneratus auro dexteram, in lancem inferet
Granum vel unum ponderis: locum modò
Et pondus iſtic merita cauſarum tenent.
Vidi, ipſa vidi, quando plorato fluens
Mulier ab imbre, déque perpetuo ſinum
Lacerata planctu, lachrymâ undantes preces
Ipſóſque fletus, Fuchſii lancem ſuper
Imponit amens, onere tam pio rata
Libram movendam. Dipſas inſanis anus,
Vis nulla lachrymis, jure dum vero vacat
Tua cauſa mulier. Teſtor æthereæ domûs
Solare lumen, vóſque ſtellatas faces,
Inane, inane pondus, hic fletus fuit:
Utcunque pietas ipſa ſuggeſſit dolum.
Vidi, ipſa vidi, pondus argenti grave
Claráque fulgens luce, cui virtus ſolet
Ineſſe multa, miles in lancem injicit.
Quò jure nequeunt, inquit, argentum trahet:
Pluti eſt poteſtas grandis; illi omnis Deus
Cedit libenter: ſacra ſed bilanx onus
Excuſſit illud fulgidum, & peſtem ejicit:
Fulvámque querulo murmure in maſſam fremit.
Aſtræa pulchram de polo ſcenam videns,
Ex corde tota riſit. O mundi decor

Rhada-

n) Palpo, adulator.

hadamante Fuchsii, dixit: in terras redux
uos penates poscerem, & tecum libens
rnas moverem. Jam tamen soror tuis
ermitte frænos lachrymis, toto ruat
a unda rivo. Mortis inimicæ dolo
le ille Minos præda o) lumbricis jacet
poliúmq; p) gryllis: aureus mansit tamen
umor superstes, præco qui claris parem
lamat dynastis Fucsium; certè simul
Iumilem, modestum, laudis invitum canit,
lon ille fastu stolidus, audaci gradu
'ollit cothurnos: non supercilium grave
evat Catonis more: non vanis crepat
ua gesta buccis, propriæ laudis faber;
lon fastuosum centies gyrans caput
git thrasonem, seque pomposus velut
avo per urbem jactat, ut quivis pecus
ecorisq; cristas damnet. Haud verbis ferox
dmordet alios, pauperi & vulgo incubans
'ensor severus, Zoilus, & acer Cato.
lec qualis aquila vile muscarum genus
æcem crabronum despicit, talis tribum
ejicit eorum, dura quos humili loco
'ortuna posuit: sed verecundo sinum
more plenus calcat animoso pede
astum & tumorem, singulis comi obvians
enignitate: pectore amplexus q) Midam
) Irúmque eodem, neminem durus premit:
Iodestiámq; fecerat suæ domus

O Rerúmq;

o) Lumbricus, vermis. p) Gryllus, vermis.
q) Midas, pro divite. r) Irus, pro paupere.

Rerúmq; sacram præsidem. Vidi (stygem
Ditémq; testor) hæc Dea imperium domi
Dominiq; tenuit: illa famulanti tulit
Leges cohorti: vestium hæc luxum domat,
Modúmq; pompæ ponit: hæc justæ regit
Mensæ salinum, pocula & vina imperat,
Regina tota laribus. O claram mihi
Gemmam tulistis fata, dum meum abstulit
Mors perduellis Fuchsium. Justis gemo
Parcæ furores planctibus. Certè senem
Vincere decebat Nestora, & canum Jovem
Æquare vitâ: trita sed jacet rosa
Modò nata quando purpuram & pompam explicat.
Sed & supremum Danici Regem soli
Idem ille fati tangit inopini furor:
Huic ministrum maximè & semper suo
Rapit fidelem Principi. Hìc versus labat
Totáque fatiscit Musa, non pari potens
Cecinisse plectro Fuchsii in Reges fidem:
Hæc hæc Camœnam superat & verba omnia
Augusta virtus. Fuchsius quater prius
Ipsum Phalaridis promptus intrâsset bovem
(Ebullientes silicis Ætnæi rogos)
Tumultuosos Caspii fluctus freti
Potius iniîsset: à fide Regi data
Quàm deviasset unicum infidus pilum.
Sum certa planè, si niger stygos Deus,
Ille ille furvus Pluto, piceatam trahens
Phalanga lemurum, triste stipatus latus
Acheronte toto frangere fidelem mei

Tentasset

'entasset animum Filii: Casso impiger
ıdasset orcus prælio, immotam petram
ı hoc stupescens Hectore. Herculeo Jovi
aud fortiori vinculo æternus comes
hesëus adhæsit: nec suo fidus magis
:neæ Achates extitit: Regi suo
uàm fidus omni Fuchsius vixit die.
uid plura memorem! sidera ætherei laris,
ɔnti procellas, hyemis inimicæ nives,
'dora veris munera, Autumni botros
ntè numerabo: quàm queam tanti Ducis
elebrare metro gloriam. Exundat simul
rítque mœror gravius, ubi cladem altius
emor recenset animus. O cœlum! O solum!
uàm grande fulmen, quanta tempestas quatit
eum Gradivum, méque Bellonam opprimit!
lachryma, prolis funera extinctæ riga.
lachryma, magni more torrentis rue.
lachryma, curre quâ potes demum viâ.
lachryma, fluctu merge plorato omnia.
lachryma. Conjux optime, hoc unum est super
:ulcere vulnus fletibus: & ipsis sacros
pelire cineres lachrymis.

NEPTUNI ET NEREIDOS LUCTUS

Ob

PERDITUM IN DEFUNCTO

JOANNE SIGISMUNDO De FUCHS

Strenuum Albis Defensorem.

NEPTUNUS.

QUÆ ferit sensus animósque scena?
Congelat sanguis, riget ægra vena.
Mortis occurrit gelidæ theatrum
vestibus atrum.
Fallor an præsens patriæ senatus,
Palliis atris humeros nigratus,
Fuchsii claro cineri parentat
justaque tentat?

NEREIS.

Ah satis cernis, jacet hac in arca
Fuchsius. Stravit furiosa Parca
Hectorem nostrum volitante telo
invida zelo.
Cruda quo sævis Lachesis furore!
Concutis quanto mihi cor dolore!

Fuchsium

Fuchsium tentas tumulasse tetro
quando feretro.

NEPTUNUS.

Hunc in immensum senium parare
Debuit Clotho: Lachesisq; raræ
Debuit lanæ fabricasse densum
glomere pensum.

NEREIS.

Vota sed fallax Lachesis fefellit:
Fuchsium è vivis Libitina pellit:
Atque vix cano tumulùm paravit:
Hectora stravit.
Damna fecisti mihi. Parca quanta!
Vix solet Mavors fabricare tanta:
Æolus non sic nocet irruenti
fulmine venti.

NEPTUNUS.

Te Jovem testor, superásque Nymphas,
Inque Parnasso pelagóq; lymphas,
Dis sacram testor styga, vosque bellas
æthere stellas:
Fuchsii virtus pia dum gubernat
Regium Glückstad: mera fausta vernat
Urbe sors tota; neque quod dolebat
civis habebat.
Fuchsio ad ripas fluvii regente
Cum meo tutus venio tridente:
Tutus à cuncto feriente ferro
stagna pererro.

Carbasis lætis properant carinæ:
Commeant nullo mea vela fine:
Fraus rapit nusquam mala tunc phaselum,
arm've velum.

Pax inest Albi: neque bellicosus
Infremit turbo; neque Mars dolosus
Decipit spumas: habet unda stultum
nulla tumultum.

Mars licet crudus variis in oris
Fulminet pleno tonitru furoris:
Attamen pacem nihil hìc mearum
frangit aquarum.

Efficit virtus, vigilésq; curæ
Hoc Sigismundi, bene qui futuræ
Providus nubis, citus amovebat,
quod metuebat.

Hinc solent nautæ geminare vota:
Centies classis cecinisse tota:
Mille percurras bone Dux Novembres,
mille Decembres.

NEREIS.

At tuus tutor cecidit perivit:
Ad pios manes proavos adivit:
Hoc tibi scutum rapuere fata
lædere nata.

Jam sona tristem bone nauta lessum:
Erige in proris triplicem cupressum:
Vela fac certè picei coloris,
signa doloris.

Túque

Túque lugubrem crepita Camœnam
Turba Tritonum, tragicámque ſcenam
Lude per pontum: tua jam profunda
ejulet unda.

NEPTUNUS.

Sed tamen fas ſit poſuiſſe pulchro
Fuchſii verſus modicos ſepulchro,
Debiti affectûs monumenta parva
noſtra per arva.

EPITAPHIUM.

Clotho proſtravit: virtus nova fata paravit:
Atque infinitam dat nunc poſt funera vitam,
Plauſibus ornatam multáq; à laude beatam.
Dum globus avellit plantam, pérque aëra pellit:
Tunc reparat rurſum mavortia gloria curſum;
Regnáque pervadit; toto quin orbe meavit:
Cuncta penetravit; radios & ubiq; vibravit.

POETA

Et furit & mœret

ob aliquod suum carmen perditum nec reperibile

Quod metuit ab invidia laceratum, aut applicatum ad custodiendum fœtidum •) *Monasteriense Nasale Tabacum, aut combustum.*

NUper ubi Musis, veteri pro more laborem
Sacrabam nostrum, studium cerebrúmque dicabam;
Sentio Apollineum labi in mea viscera Numen;
Sentio pierio percelli pectus ab œstro:
Atque agitante Deo, calefactis ilibus ignes
Surrexisse sacros, imísque ardere medullis
Mox erupturum facundæ phocidos æstum.
Ergo œstro permitto viam, cursumq; poësi:
Et libertatem nostris indulgeo metris.
Illa velut torrens undanti turbine currunt,
Et multas chartæ philyras pernicibus odis
Implent: ut creber celeri farragine versus
Cresceret in molem, cumulum subitúmq; Catullus
Divinúsq; Maro, cœcóq; Propertius antro,
Et Naso & Flaccus, totus Pindúsq; stuperent.
Nec versus jejunus erat, nec macra Thalia

Nec

• Monasterium nomen urbis, est in Westphalia, veteri nomine Mimigardia.

Nec torti numeri, nec hianti chaſmate rupti,
Nec melos inſulſum, raucúſve ex anſere ſtridor:
Sed ſimul hunc properum comit bona gratia partum
Flos operi bene multus ineſt, variiq́ue lepores
Sparſi per metricum rident hinc inde laborem:
Quin ſimul in verbis paſſim phraſibúſq;, tropíſque
Enthea vis fuerat, ſua Majeſtáſque figuris:
Ipſemet ut Phœbus factis arriſerit odis:
Et Deus ille meis ter fixerit oſcula metris,
Teſtatus multis genus illud amabile versûs
Dignum Phœbeis reſonare in Phocide plectris,
Omnibus à Muſis ſupremo in vertice Pindi
Dignum cantari: riſurum ad carmina montem.
Quid tamen! ah vatis ſat mœſtum & flebile fatum!
Perditnr illud opus, labo r ille evanuit omnis:
Ex oculis, digitis, ciſtis, totóq; penate,
Diſparet planè: nec erat reperibile comma,
Nec punctum minimum, nec nuda poëmatis umbra.
Ergo ego ſollicito Muſam veſtigo dolore:
Excutio loculos, & hiantes pariete rimas:
Muſæi luſtro *t*) forulos, *u*) riſcóſq; culinæ:
Inſpicio peras, ſolers conclavia verro:
Multáq; collectæ pervolvo volumina chartæ:
Quin centum percurro libros, vacuatáq; verto
Pulpita, & inclusâ ſpolio mea ſcrinia maſsâ:
Si forſan minimus Muſæ ſe proderet index.
Te Phœbum teſtor, vos conſcia Numina Pindi
Teſtor, in amiſſum non ſic Tyrinthius Heros
Indagavit Hylam: licet illum ad flumina curſu

 Quære-

t) Foruli, capſulæ librorum. *u*) Riſcus, foramen in muro ad focum.

Quæreret æterno, clavas oblitus & arcum,
Et multùm tremulo teſtatus pectore curas,
Qui nec Cerbereos, nec Hydræ ſeptemplicis ungues
Ulla nec ex orco nec ab agris monſtra timebat.
Nec ſic quæſita eſt dulcis proſerpina matri:
Mœſta Ceres quamvis per & avia & invia multùm
Curreret, in quodvis penetraret amara foramen
Atque chaos noctis prælatos illa per ignes
Diſcuteret, deciéſq; gemens rimata fuiſſet:
Ut meus amiſſos in quovis quærit hiatu
Triſtis amor verſus, & lugens cura poëſin.
Sed tamen adverſum fruſtraverat omnia fatum;
Eſt labor eluſus, tanta eſt diſcuſſio caſſa:
Umbra nec amiſſæ reperibilis ulla Camœnæ:
Filia rapta patri, ſunt rapta poëmata vati.
Ergo lugubri compono membra ſedili:
Luctibus atque iris laxos indulgeo frænos:
Atque his lamentis Parnaſſi culmina tundo.
Quo nunc orbe lates? quo carcere muſa gemiſcis?
Quo reſides antro? ſub quonam clauſa *x*) coluro
Infelix luges, vatémq; abſcondita ludis?
Ah ego quàm metuo fabricet ne funera livor,
Livor felle tumens, ſtricto ſæviſſimus ungue,
Livor dente ferox, ſpumis circumlitus ora,
Iris atque odiis dextram ſtipatus iniquis.
Ah obverſatur menti triſtiſſima clades
Ah obſervantur dentes, unguéſq;, machæræq;,
Illidat noſtræ quas crudo fulmine Muſæ
Invida barbaries, quæ pleno ſæva furore

Dilace-

x) Colurus, circulus cœli.

Dilaceret metrum secet in millenáq; frusta,
In floccos, tenuésq; atomos, minimúmq; retundat
Pulverem, & appliciti putridis afflatibus oris
Difflet, & attonitas latè dispergat in auras:
Auferat ut Boreas raptum per nubila partum.
Ah hanc barbariem formidandúmq; macellum
Anxietas præsaga canit, dolor oggerit augur:
Internúsq; meus nimiùm mihi clamitat horror.
Sed tu Parnassi doctissime præses Apollo
Tu cladem laceræ vindex ulciscere Musæ:
Hoc saltem modicum nostris justissime votis
Indulgere velis: sin invidus ille Procustes
Diripiens nostras furiis lacerantibus odas,
Ipsemet attentet fabricare aliquando poëma
Phœbe poëtastro tu cunctas obstrue venas:
Castaliúmq; nega fontem: nil sentiat œstri
Ille sacri: stupido miser excussisse cerebro
Nec duo metra queat: Centenos gyret in orbes
Bardum latro caput, crassam pinguémq; Minervam:
Et decies frontem, decies vesanus & aures,
Perfricet: ingenti se circumtorqueat æstu:
Nec tamen hic mulus queat unum extundere carmen.
Adverso donec commotus viscera fato,
Ipse suas laceret frusta in millena papyros:
Atque in pulvereos folia invitissima floccos
Conterat, ipse sibi tunc talio justa futurus.
Quid tamen! ecce aliud mea cura dolórq; probrosum
Formidat facinus, totis horrétq; medullis.

Nempe

Nempe *y*) Mimigardum nequis naſale tabacum
Affricet ad nares Muſæ, fœdóq; hoc ſtercore tunſo
Impleerit gremium, niveam noſtrámq; Camœnam
Hac maculet merdâ, graviterq; halante cloacâ:
Præcipiat cogátq; ſimul, chartacea tantæ
Illa ſit & maneat cuſtodia torta mephitis.
Heu me ſub tali ſi ſqualet Muſa fimeto!
Heu ſiquis ſordes has caſta injecit in ora!
Hoc Mimigardiaci cœnúmq; lutúmq; tabaci
Fœtet: ut attonitas ſtrophio digitíſque duobus
Occludas nares, *z*) forium naſale cerebrum
Ne frangat penetrans, pudibundáve virgo vel infans
Deliquio ad tantam ſolvatur fortè paludem.
Fœtet, ut infauſtum nidor fimoſus abortum
Prægnanti valeat bis ter cauſare parenti:
Fœtet, ut ingratæ nil conceſſiſſe ſaburræ,
Succerdævé velit quicquam ceſſiſſe ſuillæ
a) latrinævé domûs *a*) foricíſve halantibus urbis:
Fœtet, in orcino veluti dum Cerberus antro
Attollit caudam, pedentéq; ventre mephitim
Eructans, ſtygium pœdore fimóq; barathrum
Implet, & infernos ter ſternutare chelydros
Cogit: ſulphurei donec nigra ſtiria muci
Pendula vibriſſis de pandis naribus undet.
Heu me! ſi noſtram fæx illa tabacea Muſam
Torqueat: inque ſinu latrina hæc fumea ſtagnet.
Quiſquis ad hæc noſtrum damnavit ſtercora partum:
Ille die pleno, populíque adſtante coronâ

In

y) Mimigardia, urbs Monaſterienſis. *z*) forium, ſordes liquidæ. *a*) Latrina, & Forica, locus pro ventre exonerando.

In plateæ cœnum fimetáq; publica lapsus
Hoc cum ſtercoreo pugnet fortiſſimus hoſte
In triduum pugnet: tamen excuſſiſſe lutoſum
Alcidem nequeat: ſuccumbat victus, & atram
Illuviem buccis foriúmq; patentibus hauſtum
Maſticet, à merda fauces ventrémq; ſaginet:
Donec ſit riſus pueris, luſúſq; petulcæ
Plebi quem demum vetularum copia ſannis
Mordeat, & multo ſarcaſtica vulneret ore
Vim noſtris Phœbee velis pater indere votis.
Sed jam major adhuc fibris trepidantibus horror
Irruit: & gravior truculentæ cladis imago
Occurrit menti plagáq; ingente flagellat.
O quantùm metuo: ne quis fumante *b*) Perillus
E Phlegetonte redux ipſos admoverit ignes
Et flammas Muſæ, quam per fera buſta cremarit,
Inque pyram, ſtreperas quæ ructet ubique favillas
Verterit inſontem, cunctíſq; incendia manent
Artubus, & proles plenus rogus igneus adſtet:
Quòdque magis pungit: flammis petulantior orbis
Applicet his tubulos tabaci à fronde repletos:
Accendat maſſam raptis hoc igne favillis:
Déque mea Muſa, fumis muſæa domóſq;
Et patulas repleat nebulis undantibus auras.
Heu quæ tempeſtas miſeram, quæ fulmina Muſam
Concutiunt! quæ fata immania, barbara, cruda
Dictaſti cœlum, queis noſtram frangere prolem
Innocuam libuit; quin tanta procella Procuſtem,
c) Sciro-

b)) Perillus, inventor tauri candentis.

c) Scironem fuſo ſtillantem ſanguine Cacum
Attereret potius, vindex ut ſanguinis eſſet,
Aſtræææq; foret genuinum emblema tonantis.
Nunc lugens frendénſq; ſimul parnaſſie Phœbe
Ad te converto gemitus, & flentia vota,
Ad te ſat juſtas converto pectoris iras.
Tu Deus infeſtos Muſarum & carminis hoſtes
Oppugnaſſe velis: tu tende ſeverior arcus,
Effundáſq; iras, & amuſa hæc agmina frange:
Túque tuos tueare ſimul Phœbe optime vates;
A ſtupidis tueare hircis, à dente Theonis,
A Momi rictu, nigróq; à felle Lycambæ,
A ſpurco invidiæ metra tu defende veneno
Fac ut ſat felix comitetur carmina fatum,
Juſtus honos verſum, jucundáq; gloria Muſam:
Urgeat ut calcar laſſos aliquale poëtas.

c) Procuſtes Sciron, latrones. Cacus, fur.

JUSTITIÆ ET MORTIS ALTERCATIO
Super
OBITU SUBITANEO
Prænobilis, Conſultiſſimi, Doctiſſimi Clariſſimi DOMINI
JOACHIMI WOLTERS
in Regimine & Cancellaria Danica Conſiliarii

JUSTITIA.

JUSTITIA.

OBvias ergo mihi trux hyæna?
Obvias tygris feritate plena?
Te puto mortem, puto te leænam,
te lanienam.

MORS.

Obvio audacter, neque te timebo:
Nec tui quenquam similem pavebo.
Obvio è nostro veniens recessu
martia gressu.

JUSTITIA.

Latro Wolterum mihi redde stratum:
Æacum hunc mundo, superísq; gratum
De tuis posco manibus scelestis
ossea pestis.

MORS.

Reddo, dum græcæ veniunt calendæ:
Dum nives inter medias legendæ
Creverint uvæ, dederítq; lessus
muta cupressus.

JUSTITIA.

Iste Wolterus trutinam librabat
Optime semper: neque cogitabat
Quâ sibi lucrum queat esse parte,
quâ vel ab arte.

Pondus

Pondus ùt causæ petiit, movebat
Sic sacras urnas: ita sentiebat
Litis ut motæ meritum petebat
résque volebat.

Hic meus Minos nec ad ejulantem
Motus est planctum: neque comminantem
Pavit ad Martem, nec ad insolentis
scommata gentis.

Ille donandum Rhadamanthus aurum
Odit, ut grandem scapha parva Caurum
Quo ratis certè scopulos adiret,
fracta periret.

Æacum talem Libitina quare
Tollis? ac tantam properas humare
Gloriam mundi; resecásque florem,
orbis honorem.

Sic mihi dulcis fuit illa gemma,
Quam mihi Wolters genitale stemma
Obtulit: proles velut est parenti
cara regenti.

Nestorem hic judex superare vitâ:
Debuit, nullâ ratione tritâ:
Debuit nullos cecidisse victus
mortis ad ictus.

Pignus hoc nostrum Libitina raptas;
Fraudibus crudis scelerata captas:
In cibis ipsis sepelis venena
funere plena.

Vah stygos monstrum, vehemensq; latro,
Felle quàm stillat tibi pectus atro!

Hoc

Hoc decus mundi lacerare quando
ausa tonando.
Interim sentes, loliúmq; terræ,
(Impium dico) libitina ferre
Sat potes, quamvis meritus sit ille
fulmina mille.

MORS.

Nympha nunc œstum cohibe frementem:
Contine accensam bona Diva mentem:
Nec velis ultra Dea sic acerbis
pungere verbis.
Tu tamen cœca es Themis ipsa mecum;
Mors uti semper tenebrosa tecum.
Neutra personas videt aut beandas
aut laniandas.
Tu tuas tractans trutinas, tenellos
Obtegis pallis subitis ocellos;
Sub tuis umbris nihil ésque verè
apta videre.
Cœca tunc urnas properas movere:
Calculos cœcis manibus tenere:
Impetu cœco citò fulminare
cœca tonare.
Nec tuum fulmen retrahit Dynastæ
Sacra majestas, niveúsve castæ
Virginis vultus, vel Achillis hasta
sanguine pasta.
Cœca baccharis: miserúmq; tangis
Cum *d*) Mida *e*) Codrum: validúmq; frangis

d) Midas, pro divite. *e*) Codrus pro paupere.

Hectorem: sternunt tua tela cæsum
barbara *f*) Crœsum.
Tu parum curas celebres honores,
Orbis ignoras mera talpa flores:
Urna regnantes eadémq; *g*) Cyros
damnat & *h*) Iros.
Sic ego fulmen quoque cœca tracto:
Obvios quosvis tenebrosa macto.
Nescio lucem: mihi noctis usus,
noctéque lusus.
Seu sacras lances aliquis libravit
Pro tuis votis, & ad omne pavit
Aureum munus, repulítq; plenam
ære crumenam.
Seu tuas urnas modò pro favore,
Próque thesauri rutili colore
Movit: ut semper nocuis amicus
esset iniquus:
Cœca Mors nunquam solet hoc videre;
Quin idem telum vibrat illa verè
In gregem justum, simul & nocentem
crimine gentem.
Hinc ego Ideum *i*) Paridem necavi:
Arbitrum hunc falsum feriente stravi
Ensis impulsu: pepulíque sontem
ad Phlegetontem.
Hinc ego telis iterum libratis
k) Æacum cœpi sociare stratis:
Inque *k*) Minoas varios anhelo
currere telo.

Hinc

f) Cræsus, pro divite. *g*) Cyrus, pro potente. *h*) Irus, pro misello. *i*) Paris Ideus, ab Ida monte in quo erat judex. *k*) Æacus & Minos, judices æquissimi.

Hinc tuum Wolters rapui ſub umbras
Cœcior talpâ: licet ille tumbas
Tam citas nunquam meritus putetur:
ſic adametur.

Sunt tui & regni ſacra jura noſtri,
l) Scruta centonum, radiantis oſtri
Gloriam cœco populare niſu
& ſine viſu.

JUSTITIA.

Falleris monſtrum, neque cœca tali
Marte procedo: mihi latro quali
Carmine affingis: melius bipennem
vibro perennem.

Seligo juſtum: bene cauta ſontem
Segrego: nunquam ſimul ad *l*) Charontem
Impium, & ſanctum jubeo venire,
atque perire.

In meros ſontes ſoleo machæram
Stringere: his ſanè fateor ſeveram
Me ſatis monſtro: neque dura Martem
curo vel artem.

Incubans ſonti, mihi ſponte bellos
Faſciis denſis ligo tunc ocellos:
Induo noctem, tenebráſq; quæro
juſtáq; ſpero.

Cœca tunc ſontis neque fulgurantem
Sentio pompam: neque fulminantem
Cerno mucronem: neque curo diras
Hectoris iras.

 Nec

l) Scruta, orum, res vilis. *l*) Charon, nauta infernalis.

Nec Codrum cerno prope veste nudum,
Nec Midam adverto rutilum, nec udum
Lachrymis Irum. Mera facta specto,
crimina plecto.
Cœcior sed tu stygio barathro
Singulos pergis laniare latro:
Justus injustus fit iniqua fortis
victima mortis.

MORS.

Vera dixisti: tamen ad mearum
Gloriam rerum: patet inde, rarum,
Quàm mihi regnum: mea quanta jura
quantáq; rura!
Scilicet nostris nihil à machæris
Vivit exemptum: teneo severis
Legibus cunctos: mihi certa quivis
hostia civis.
Ille seu justus fuit aut iniquus,
Hostis æternus, bonus aut amicus,
Seu fuit pauper, locupléſve Crœsus,
m) Crassus obesus,
Concidunt nostro tonitru necati:
Concidunt agni velut immolati:
Et mei quivis scopus est rigoris,
præda furoris.

JUSTI-

m) Crassus, nomen proprium.

JUSTITIA.

Sed tamen Wolters meus ille vivet:
Cor licet Morti glaciale livet:
Vivet æternus: dabimus beata
denique fata.
Vivet æternâ resonante laude,
Tutus à mortis perimente fraude:
Vivet à cuncto celebratus ore
plenus honore.
Mercuri plantis citò necte plumas
In manum chordas lituúmq; sumas.
Clara Wolteri cane rariore
gesta lepore.
Cynthius rhedas ubi mergit undis,
Fluctibus surgens ubi de profundis
Vult suum mundo rediens sepultum
reddere vultum.
Gloriam Wolters ibi buccinabis:
Æaci tanti Decus insonabis.
Fama laudantes modulos juvabit
conduplicabit.
Sic reviviscet meus ille Minos
Post tuos ictus fera Mors lupinos
Clarior surget, meliore fato
laude parato.

In Epitaphium gloriosum ILLUSTRISSIMI GENEROSISSIMI HEROIS JOANNIS DE MARLEBURG militiæ Anglicanæ supremi Ducis.

QUæris hoc quisnam jacet in sepulchro,
Gloriâ tantâ, titulisq; pulchro?
Marleburg magni cinis hìc latescit
& requiescit.
Pene dixissem latet acer Hector,
Pyrrhus armorum populiq; rector,
Hannibal fortis, Fabiúsq; clarus,
scipio rarus.
Par enim cunctis fuit unus istis
Marleburg: illo Duce vos fuistis
Rursus in vivis: rediitq; vestrum,
fulmen & œstrum.
Marleburg certè gladio tonante
Et suo sclopo bene fulminante
Dum premit turmas, rapitúrq; mirâ
martius irâ:
Hostis ad factum tonitru pavebat:
Agmen occurrens penitus tremebat;
Palluit Ductor: titubátq; quivis
miles ubivis.
Sicut agnellus pavidus tremiscit,
Dum leo crudus socium dehiscit:

Et

Et ſibi dentes rabidúmq; rictum
pandit ad ictum:
Sic pavent hoſtes ubi grande nomen,
Enſis, & ſclopi (grave cladis omen)
Inſonant Marlburgs validè ſequentis,
& ferientis.
Marleburg quondam properus petebat
Hoſtium turmas; proprium trahebat,
Militem ſecum: gladios ſeveros
imperat Heros.
Venit, & vidit, ſubitúſq; vicit:
Ipſe tunc hoſtis reliquúſq; dicit,
Bella tu ducis velut ipſe vivus
enſe Gradivus.
Mars ubi claram videt ipſe ſcenam:
Plaudit ad pulchram Deus hic arenam:
Ridet & cudit ſuper hoc Achille
gaudia mille.
Tu mea es, dicit, genuina proles:
Teſtis eſt mundi ſpatioſa moles,
Noſter in tanto Duce mille ſignis
æſtuat ignis.
Nec modò inſignis fuit hoſte ſtrato:
Enſe nec ſolo eſt celebris rotato:
Inſuper ſacram Themidem colebat,
æqua volebat.
Palluit ſemper ſua tunc ſtatera;
Pro bonâ causâ rea dum Megærâ,
Pondere aurato trutinam gravabat,
excruciabat.

Nec bilanx quicquam fuit æqua mota,
Dum gravis luctus, pietásve tota
Lachrymâ libras onerat cadente,
imbre fluente.
Unicum facti meritum movebat
Judicis lances: ita finiebat,
Marleburg lites Themis ùt volebat
causa petebat.
Sic tenax æqui fuit: atque Regi
Et suo regno patriæq; legi
Maximè fidus, cui se sacrabat,
cuncta dicabat.
Certus in ferrum potius ruisset:
Aut freti spumis caput abdidisset:
In rogi flammas prius involasset,
séque cremasset:
Quàm fide addicta modicum recedens,
Et caput regni, patriámve lædens,
Quæreret quenquam violare facto,
fallere pacto.
Hinc erat stirpis sacra margarita,
Angliæ fulcrum, decus, atque vita,
Certa spes aulæ fuerat jubentis,
gloria gentis.
Sobrio semper fruitus catino,
Ebriis mensis nimióq; vino
Abstinens totus, bene temperatam
& moderatam
Vixit ætatem. Nimis ille scivit
Aleam qualem populus subivit:

Militem

Militem quando cyathus ſubegit
obbáq; fregit.
Dic mihi: adverſas peditum phalangas
Quomodo incurſu ſuperante frangas?
Quomodo in campo potes aptus almam
prendere palmam?
Dum nequis plantas ſuper ipſe ſtare:
Nec duos paſſus potes ambulare:
Téque pygmæi, pueríq; ſpernunt
pollice ſternunt:
A nimis multo quia jam falerno
Fractus es totus, cupidus veterno
Stertere ingenti, reſonare longis
prælia ronchis.
Num cadent hoſtes? tua Martis arma,
Enſis, & ſclopus, lateríſque parma,
Dum merum eſt vitrum, ſchyphus, atque denæ.
fortè lagenæ.
Orbis eſt monſtrum pugil ebrioſus;
Servus is Martis nimis eſt probroſus:
Mars ad atratum Plegetonta notos
damnat aſotos.
Ductor hinc Martis ſolet Anglicani
Sobrios potus adhibere pani:
Palma ne forſan foret in diotis
naufraga potis.
O virum certè ſuper orbe rarum!
Infimis ſummis reliquíſq; carum!
Neſtorem dignus ſuperare verum
mole dierum.

Fama tu conchas rape jam ſonoras:
Tu Ducem cunctas celebra per oras;
Tu metro comple reſonante Pindum
laudibus Indum.
Fata ſic fas ſit mihi vindicaſſe
Et novâ vitâ Dominum beaſſe:
Sæcula ut vivat superétq; mille
Hannibal ille.

APOLLO cum MINERVA
parentans
Clariſſimis cineribus
Prænobilis Conſultiſſimi doctiſſimi clariſſimiq;
DOMINI
HENRICI JÖNSEN
Juris utriúſque Doctoris &
celeberrimi Advocati.

MArte non ſævit fera mors aperto;
Fulminet telo licet illa certo;
More ſed furis graditur doloſa
inſidioſa.

Præno-

Prænobilis Consultissimus Doctissimus Clarissimúsq; DOMINUS

D. HENRICUS JÖNSEN

Juris utriúsque Doctor in Alma Kiloniensi Universitate ab Apolline creatus.

APOLLO.

EXulet à Pindo risus; totóq; facessant
Parnasso ludi: & festis ridentia metris
Gaudia ab infausto cedant procul omnia colle.
Jam dolor & gemitus, lachrymísq; undantibus udi
Planctus per totam resonent ululante tumultu
Pegaseam rupem: totóq; hoc mœsta theatro
Præfica funereas jam frendeat ejulet odas.
Nam rursus Libitina ferox bacchatur: & antro
Cerbereo erumpens, stygiásq; egressa cloacas
Feralem vibrat chalybem; tabòq; recenti
Stillantem falcem Parnassi in funera gyrat.
Quid multa? en toto phlegetontica bellua marte
Frenduit in Jönsen: exundantémq; furorem
Illius in jugulum excussit: docta ilia rupit:
Cor secuit: rapuit Jönseno à pectore vitam.
Ille jacet: totúsq; riget: gelidúmq; cadaver
Horret: & atratas de frigescentibus urnas
Exuviis implet. Jam lessibus æstuet omnis

Collis:

Collis: & effuſo lachrymetur Cyrrha dolore.
Barbita funeſto plorantia carmina pulſu
Ingeminent: omníſq; meæ fleat angulus aulæ.
Caſtalias juro ſpumas: tripodémq; futuri
Præſagum teſtor noſtríſq; oracula Delphis:
Hunc ego Apollineo Jönſen complexus amore
Ut propriam vitam, veluti mea propria ſemper
Viſcera dilexi. Quin crebro totus abivi
In riſum Phœbus: dum docta volumina Baldi
Obviat evolvens Jönſen: juríſq; pererrat
Dogmata, doctorum ſacras aliquando coronas
Kilenſiſq; ſcholæ cupidus meruiſſe triumphos.
Sæpe ego dicebam, mi dilectiſſime Jönſen,
Intrepido pergas ſtudio monumenta forúmq;
Scrutari juris, Regum pervolvere juſſa,
Vim legum excutere, & Themidos ſacraria divæ
Conſtanti penetrare æſtu. Juviſſe labores
Mens eſt, & noſtro tua bella ſcholaſtica ſceptro
Dirigere: ut certo veniat victoria curſu.
Vix jurans dixi: clarum de vertice noſtro
Abſtraxi radium: jubar hoc illuſtre cerebro
Jönſeno impoſui: furvas pepulíq; tenebras:
Quódq; chaos noctis ſtudioſa involvere caſtra
Sæpe ſolet, plenâ mutavi luce diéq;
Hinc etiam Jönſen aquilaria lumina vincens,
Ipſúmq; exſuperans Argum, penetravit in ima
Juris: & obſcuri perplexa ænigmata Baldi
Intuitu rupit nudo: poſuitq; ſub ipſo
Sole tenebroſi quævis myſteria textûs.
Adſtitit attonito Kilena academia vultu,

Obſtu-

Obstupuitq; virum; patulis vox faucibus hæsit:
Dum juris noctes, pandectarúmq; tenebras
Digestorum umbras, chaos impenetrabile legum
Sic pandit: pleno veluti si Phœbus Olympo
Lucivomis invectus equis cœlestia templa
Explicat. & cœlos nostro clarè objicit orbi.
Tunc ego dicebam: mea plurima gloria Jönsen;
Nostri Kilensis sidúsq; jubárq; lycæi,
Tu tu doctorum subsellia scandere dignus:
Et doctorali redimitus tempora lauro,
Juridicâ radiare mitrâ, digitisq; smaragdum,
Jaspida, & opposito portare ex orbe pyropum:
purpureâq; tuum fulgere in epomide tergum.
Ipse ego tunc juvenem arripui, manibúsq; prehensum
Imâ humilem de sede tuli: statuiq; supremo
Culmine sublimem: queat unde in gymnade princeps
Despicere illarum vulgus commune scholarum:
Ipse ego laurigeras fabricabar Apollo corollas:
Lilia de gremio rapiebam plurima Floræ,
De Pæsto vernante rosas, Helicone rubentes
De nostro violas, hyacinthorúmq; maniplos,
Narcissos, calthas, floralia plurima campi
Sidera, & hortensis decus admirabile glebæ:
Inserui factis floralia munera vittis:
Mox ipse imposui Jönseno in vertice nostræ
Artis opus, mixtiq; mei miracula floris.
Sic te, dicebam, juvat exornare magistrum,
Comere Doctorem. lauróq; rosâq; coruscum
Inter plaudentes Kilensi in gymnade turmas
Exhibuisse foro, mox claram jaspida dextræ

Inserui

Inſerui: junxíq; rubrum ſpumante pyropum
De pelago raptum. Dextrâ ſplendeſcite dixi,
Jönſena: veſtrúmq; illo diffundite rure
Omne jubar, licet ipſe ſuo ſuper æthere fulgens
Ringatur titan, atque indignetur honori.
Ipſe ego ſuſpendi fluitantia pallia tergo:
Et doctorali radiantem ſyrmate pompam
Circum compoſui coſtas: & epomida ſacram,
Et docti appendi mea ſacramenta cuculli.
Doctor es, exclamo, clarus juríſq; magiſter:
Hos tibi promeritos decernit Apollo triumphos.
I vive, & pylios Doctor tranſcende Decembres:
Et ſerum ſidus, mi verſatiſſime Jönſen
In cœlo ſplende. Sed barbara fregit Erinnys
Cordis vota mei: truſit de culmine Jönſen
Diripuit pompam: laceravit epomida, & ipſam
Expulit è gremio vitam: ſtratúmque nigrantes
Injicit in tumbas, & blattis donat in eſcam.
Heu mihi quod ſemper barathrale hoc undiq; monſtrũ
Irruat: & noſtros populetur falce clientes
Fulminet in doctam gentem. quam ſtrage perenni
Frangit: & æternæ clariſſima lumina nocti
Mancipat, è piceis nunquam reditura tenebris.
Tu nunc Parnaſſi lumen veneranda Minerva
Sacras tange fides, & pollice percute plectrum:
In laudes Jönſen mœſto lyra mœſta tumultu
Infremat: & gemino reſonent encomia monte.
Juverit extremo ſic pignus amabile plauſu
Parnaſſo coluiſſe ſuper: noſtríſque medelam
Luctibus, & factis emplaſtra imponere plagis.

Præno-

Prænobilis Consultissimus Doctissimus
Clarissimus DOMINUS

HENRICUS JÖNSEN

Juris utriúsque Doctor

adeptam Doctoralem Dignitatem & scien:
tiam bono publico consecrat.

MINERVA.

EPomidatus gloriæ summum super
Stabat cacumen Jönsen: & lauro comas,
Adamante digitos cinctus, illustri in stoa
Kilensis urbis, tortiles inter tubas,
Laudes ovantis inter & plausus scholæ
Juris creatur Doctor: & tali caput
Honore fulgens confluo offertur choro.
Mox ille secum: neutiquam ignavus velut
E fæce fungus, gloriæ impositæ decus
Portabo frustra: neutiquam ut pigræ pigrum
Pecus *a*) Vacunæ, putrido tempus teram
Circum vagator otio: ut labem meis
Vitiúmq; titulis inferam: totus volo
Servire Doctor publico. Litem foro
Sin aliquis habeat pendulam: promptus feram
Opem petenti, pro tribunali reum
Fracturus acri prælio: insontis tamen
Acer futurus tutor, ut Achilles novus,

Aut

a) Vacuna, Dea pigritiæ.

Aut martialis lite pro justa Hercules
Pugnare certus. Suscipit Asellus libens
Phalerata bullæ decora: & ornato gruem
Volitare gaudet vertice: & multis ovat
Frendens cachinnis, aureus quando fluit
Tapes ab armo: postea ejectat jugum:
Abnuit aratrum: desipit suetus labor:
Jactare tantùm gloriam ac ostrum libet.
Sit id asinino proprium ingenium gregi
Fucísq; pigris: noster ubi dedit mihi
Apollo lauros, & triumphalem attulit
Doctoris alti gloriam, in votis labor
Calamíq; cerebriq; flagrat: ut lapsum erigam
Promptus clientem: provido vel ut queam
Stantem tueri Marte. Sic Jönsen ait.
Et, Dite fuvo teste, non vanus thraso
Hæc ore hianti jactat & crepat modò:
Ipso sed opere Doctor eximius probat
Studium juvandi. Siquis afflictus rogat
Doctoris operam, quâ vacillanti manum
Causæ exhiberet, promptus optatam attulit
Artem cadenti, déque præsenti eripit
Lapsu ruentem, pallidum in salvo stitit,
Non modò patronus sed pius miseri pater:
Patrocinantem dummodo indulsit patrem
Sit justa miseri causa.

Præno-

Prænobilis Conſultiſſimus Doctiſſimus Clariſſimus DOMINUS

HENRICUS JÖNSEN

Juris utriúſque Doctor

Diligens & ſedulus Advocatus.

MINERVA.

ZOïle quid clangis? Jönſen quo ſcommate tangis?
Quid blatero effutis? quot morſibus acer acutis
Inſonti inſiſtis? telis quid quæris in iſtis?
Stentor clamabas, diductâ fauce crepabas,
Jönſenus rixas quovis fundamine nixas,
Jurgia, & immites in vulgo civéq; lites
Rejectat nunquam, nec tetricus excutit unquam:
Sed poſtquam admiſit cauſas, rixáſq; reviſit,
Multáq; promiſit, cum ſpe conſtante remiſit
Rixantem gentem, defendendúmq; clientem,
Sæpe ſuas lites, aſſumptos ſæpe quirites
Neglexit deſes: miratus ut otia præſes
Dixerit: hic crebrò parcit juriſta cerebro,
Cauſidicus languens neç cauſæ viſcera tangens,
Sed tu mordaci nimium, nimiúmq: procaci
Zoile parce metro, mendaci à ſtercore tetro.
Quin omnem Martem, quin omnem congerit artem
Quando poſcenti, ſtudium calamúmq; clienti
Spondens ſacravit Jönſen verbíſq; dicavit.
Vix Phœbus vivis properavit adeſſe quadrigis,

Vix lucem promit, vix flammis æthera comit;
Cùm Jönsen strato, pro conjuge séq; parato
Surgit festinus, nec vult magis esse supinus:
Surgit, veloces ut consuevere *o*) celocés,
Dum Boreas urget, dum velum flamine turget.
Arreptat chartam, cupidus defendere spartam.
Libri evolvuntur: regalia jura leguntur:
Censet censuras, facit hinc atque inde lituras
Et totus fervet, promissa ut singula servet.
Uxor ùt ad stratam, vinóq; epulísq; gravatam
Invitat mensam, dextram tenuítq; prehensam,
Vix illa invitum libris scriptísq; maritum
Verbis avellat; suus ut de pectore pellat
Vir Doctórq; famem, sumátq; à vite levamen.
Ut tamen accessit: sitis ut potata recessit,
Utq; fames pulsa est, properè, consumptáq; mulsa:
Rursus sudatur: per jus Baldúmq; vagatur:
Omnia rimatur, mera lex authórq; citatur:
Quin apicem cunctum, minimum quin codice punctum
Excutit indagans, cerebro speculantéq; flagrans:
Ut juvet oppressos & ad hostica prælia fessos
Promissa ut solvat, miserósq; à clade revolvat.
Sic disquirentem, lapidem cunctúmq; moventem
Sol vespertinus, dum vult celer esse marinus,
Deprendit lassum, centenáq; tædia passum.
Et tu Doctorem, post hunc in munere morem,
Dices languentem? dices lusisse clientem?
p) Zoile mentiris, fallis effunderis iris.

Vicit

o) Celox, navis. *p*) Zoilus, nomen critici.

Vicit ſcrutantem ſtudio fervente q) Cleantem,
Doctor Jönſenus, fervore laboréq; plenus.

Prænobilis Conſultiſſimus Doctiſſimus
Clariſſimus DOMINUS

D. HENRICUS JÖNSEN

Juris utiriúſque Doctor
pauperum patronus.

MINERVA.

ZOile ſed rurſum reparas ad ſcommata curſum.
Ille inquis plenis ad libros currit habenis:
Sudat, ferveſcit, finémq; in codice neſcit;
Quando cliens dives, clangentes æreq! cives
Auxilium poſcunt, nummiſq; accendere noſcunt
Pigrum Doctorem, non curet ut ille laborem.
Adſit mendicus, roget ut ſit Doctor amicus:
Lazarus accedat, ſcabies quem ſordida fœdat:
Irus opem poſcat qui nulla nomiſmata noſcat
Cauſas exponant, & jus palpabile promant:
Dum nihil ære ſonant, nec fulgida munera donant:
Adſunt infeſti nimium, dominóq; moleſti:
Lis inopum injuſta eſt, vel planè cauſa vetuſta,
In quâ præclarè neque Baldus poſſit ovare.
Cedere mandatur pauperculus, æde fugatur.

q) Cleantes, diligens ſtudioſus.

Sic ſic ergo domi cudunt nova ſcommata r) Momi?
Dente theoniuo, morſu trux zoile aprino
Innocuum tangis: famam per vulnera frangis,
Hanc dum Doctori, raróq; è Phocide flori
Barbariem affingis, tali carbonéq; pingis.
Plutonis caulas aqueas ego Tethyos aulas
Juro: tuus ſtrictus non ſontem verberat ictus.
Quàm verè vivo, novus eſt Jönſenius s) Ivo.
Mendicæ gentis, muſæa ad docta gementis
Cauſas afflictas, à multis ſæpe relictas
Promptè acceptavit, calamúmq; animúmq; ſacravit;
Irus erat gratus, pauper quoque Codrus amatus:
Et nec vel verbo miſeros lædebat acerbo:
Nec vultu auſtero, geſtúve oculóve ſevero
Obviat afflictis quocunque à turbine victis:
Solatur lætus, dulciq; lepore facetus.
Quod vacuæ peræ, quod inanis ſacculus ære
Quòdq; domos mœſtas teneat ſpecialis egeſtas,
Spernit Jönſenus, ſatis hæc ad fata ſerenus.
Ipſamet audivi, muſæum quando ſubivi,
Dum Jönſen dicit: (pietas mea viſcera vicit)
Erige inops mentem, luctum modò deſere flentem:
In me Codre patrem, dulcem in me Lazare fratrem,
In me nude bonum deprendes t) Ire patronum.
u) Plutum non curo, contemno munera, juro.
Hoc ſatìs eſt nobis, ſi res juſtiſſima vobis:
Servio tunc totus, nullo de munere motus:

Lite

r) Momus, nomen critici. s) Ivo, advocatus pauperum. t) Ire ab Irus, nomen pauperis. u) Plutus, pro divitiis.

Lite æqua ductus, converto in gaudia luctus:
Et qui cœlestis vivit super æthere testis,
Afferet ille bonum pro spreto munere donum.
Hoc melos audivit, qui mecum in x) Phocide vivit
Cyrrhæus Phœbus, solet ille attendere rebus)
Et mox lætatur; pleno sic pectore fatur:
Tu Doctor clarus, vitiato hoc tempore rarus:
Te dum scribentem, pro paupere gente studentem
De y) Pindo cerno, plausu subsulto quaterno,
Et totus plenis ego Phœbus jubilo venis.
Quin tibi serta paro, splendore micantia raro,
Quæ nec styx tangat, nec vis sævissima frangat,
Quæ tecum æternent, pérq; omnia sæcula vernent.
Ne rursus dentes in scommata Zoile tentes.

Vivendum bene ut moriaris bene.

SUnt tui cordis pia sæpe vota,
Quæ poposcisti tibi mente tota:
Scilicet vitam liceat beato
claudere fato.
Nempe quo fato venias ad astra,
Ad beatorum spatiosa castra,
In quibus felix ovat angelorum
turba bonorum.

x) Phocis, regio Musis sacra. y) Pindus, mons Musis sacer.

Quas queas inter superùm cohortes,
Post tot infaustas super orbe sortes,
Gaudiis ævum celebrare plenis
semper amœnis.

Vota sunt cordis satis æqua vestri,
Optimus sancti quoque partus œstri:
Hoc dedit certè speciale lumen
æthere Numen.

Ast ego paucis monitor rogabo
Et vel hoc unum modò postulabo,
Ad poli ut possis superûmq; læta
ire vireta:

Hoc in infesto bene vive mundo,
Ejice è cordis scelus omne fundo:
Numini præsta meritos honores
semper amores.

Post bonam vitam bona mors sequetur;
Post bonam vitam Deus obtinetur:
Post bonam vitam tua sunt sacrorum
regna polorum.

Prænobilis Conſultiſſimus Doctiſſimus Clariſſimúſq;

DOMINUS

Levinus Fridericus Benſen

Juris utriúſq; Doctor

Celeberrimus cauſarum Advocatus
poſt multas lites gloriosè evictas,

ad decretorium tamen mortis tribunal
cauſam & vitam perdens,
togatâ Pallade;

pro vita meritiſſimi viri
fruſtra perorante
argumentis

ab ejus juridicâ ſcientiâ, humili modeſtiâ, præclarâ in Deum pietate deſumptis.

Sæpe quas lites populus movebat
Benſen evicit; tamen haud valebat
Vincere; eſt judex nigra quando ſortis
curia mortis.

MORS

Prænobili Consultissimo Doctissimo Clarissimo Domino

Levino Friderico Bensen

Juris utriúsque Doctori

graviter minatur, trepidante togatâ Pallade Doctoris Patronâ.

NUper ad horrisonum Mors importuna tribunal
Ascendit judex: causas litésq; movebat
Doctoris Bensen: decisivóq; parabat
Tanti fata viri tandem concludere voto:
Scilicet an Bensen decus illud amabile gentis,
Hoc urbis lumen, flos hic & gloria Pindi,
Clarus juris honos, Doctorum nobile sidus
Deberet plures vitam extendisse per annos:
Aut nunc prosterni Mortísque à fulmine frangi.
Mors decretales dum trux consedit z) ad urnas:
Corrugare suam cœpit rigidissima frontem,
Spirare infestas irásq; minásq; necésque:
Abdere sub tumidis centena tonitrua rugis:
Et cladem extremam crudo portendere vultu.
Horruit ad diram Pallas juristica scenam,
Dilectóq; suo metuens tremebunda clienti,
Ad Rhadamantheum mortis ferale theatrum
Ne causâ Bensen caderet tumulúmq; subiret:

Mortis

z) Urna: pro judicio.

Mortis ad horribiles Pallas turbata cathedras
Advolat, impendens conata avertere fulmen.
Lachryma de mœſto currebat deflua vultu,
Immotúmq; forum plorato rore rigabat:
Tundebat pectus: tundebat & aëra multo
Singultu cordis compaſſa doloribus Echo
Reddit lugubri ſuſpiria plurima leſſu.
His demum rhythmis lachrymis ut flumine merſis
Pro vitâ Benſens multùm titubante perorat.
Quamvis fruſtratos fregit Mors dura labores.

Togata Pallas
ad Mortis tribunal perorat
pro vita
Doctoris BENSEN
Argumento
ab
ejus juridicâ ſcientiâ deſumpto.

ERgo, Mors atrox, ſcopus eſt furorum
Optimus Benſen? caput hoc decorum
Debet infeſto cecidiſſe telo?
victima zelo?
Parcius quæſo truculente *a*) Minos.
Comprimas motus magis hos ferinos:
Subtrahas cladi, precor, advocatum
undique gratum.

a) Minos, nomen judicis.

Námq; Parnaſſi decus eſt honórque,
Ipſius Phœbi ſoboles amórque:
Gloria in Pindo fuit is ſacrarum
multa Dearum.

Juris hic imam penetrans abyſſum,
Ivit in legum nemus omne ſpiſſum:
Luce pandectas reſerat coruſcâ
nullibi fuſcâ.

Imperatorum novus explicabat
b) Oedipus dicta: & populo probabat
Abditos ſenſus: bene, quod latebat
excutiebat:

Bartolum & Baldum, celebréſq; juris
Codices multis, variíſq; curis
Perdius pernox manibus terebat:
& relegebat.

Quando gens rixas habet atque lites,
Quas malâ rarò ſine clade vites:
Quíſq; dum prò ſe citat ipſa jura
verbáq; plura:

Ille mox textûs tenebras removit:
Inditos ſenſus aperire novit:
Quicquid eſt nodi citus ille ſolvit
atque revolvit.

Regula ut juris jubet, útque rerum
Poſtulat pondus: meritúmq; verum:
Sic docet Benſen, ita quæque tangit,
jurgia frangit.

Sola ſunt ipſi cynoſura jura,

Déque

b) Oedipus, nomen vatis.

Déque decretis documenta pura,
Et ſolet ſiquid dare mos avitus
undique ſcitus.
Per caput Phœbi cytharámq; juro,
Sæpe quæ cœli ſonat in c) Coluro,
Per melos Pindi, celebríſq; mundam
Phocidos undam:
Nulla jus contra poterat crumena
Aureis nummis aliiſve plena,
Aut ſeges dives data, vel ſabina
tradita vina.
Quémq; non norat variare Plutus,
Neç minis atrox gladióve Brutus;
Sola lex illum modò dirigebat
júſq; tenebat.
Hunc ego d) Baldum meditata clarum,
Hunc ego Ivonem ſpeculata rarum,
Plurimos illum ſuper æſtimavi
ſemper amavi.
Ipſa Doctoris titulo beavi:
Lauream dignam capiti paravi:
Jaſpidem in doctis digitis locavi:
pallia ſtravi.
Iſtud huc demum decus evocavi:
Gloriâ magnâ meritum levavi:
Fulſit hinc ſemper velut eſſet una
æthere luna.
Mors in hoc pignus potes intonare?
Hunc virum telis poteris necare?

Hunc

c) Colurus, circulus cœli. d) Baldus & Ivo, celebres juriſtæ.

Hunc novum Baldum lacerare falce?
frangere calce?
Vah tuæ crudum facinus sarissæ!
Quando vis talem mihi sustulisse:
Vix id irati facient leones,
aut laniones.
Intona in vulgus rude fulminastra:
Hoc genus sternas stupidum Deastra
Frange qui tantùm fuerint rotundi
pondera mundi.
Non tuæ tundant hominem procellæ:
More qui pergit radiare stellæ,
Quando doctrinæ micat à decore,
juris honore.

Mors tamen perorantem Palladem explodit.

SED mors ridebat, Pallas quando ista fremebat.
Baldum (Pergebat) mea falx atque ira ruebat:
Bartolus est stratus, nostróq; furore necatus:
Doctum Chilonem, mirum salomona, solonem
Et disceptantem de luna & sole Biantem,
Aut quos millenos Musarum Numine plenos
Obstupuit quivis per singula sæcula civis:
Hæc doctrinarum portenta stupenda tuarum
Planè delevi, falcémq; cruore replevi:
An sint juristæ multáve ex arte sophistæ,
An de fungorum stupidâ sint sorte malorum

Nunquam

Nunquam diſtinxi, nunquam hæc diſcrimina finxi,
Excellens Doctor, rudis atro fornice coctor
Per me mactantur, *e*) blattis bellaria dantur.
Doctrinæ allatæ cum multa laude paratæ
Me necdum mutant, nec tela minata refutant,
Sed tamen attentes rurſum fregiſſe furentes
Aſſultus Mortis: doctæ bona fata cohortis
Quære novíſq; modis aliíſq; fluentibus odis,

TOGATA PALLAS
ad mortis tribunal
pro vita
LEVINI FRIDERICI BENSEN
perorat
ARGUMENTO
ab ejus humili modeſtiâ deſumpto.

ERgo iterum Pallas nova per molimina tentat
Ictum intendenti Benſen ſubducere morti.
Suavibus in rhythmis, ſapphóq; ad plectra canente
Proponit, multíſq; docet, moderatio quanta
Componat comátq; virum: quàm pulchra ſuperbum
Infringat faſtum vanúmq; modeſtia luxum.
Quo reſonante melo mortem manſueſcere ſperat,
Sic ait:
Parce dum rurſus venio poëta;
Rurſus attento modò Nympha ſpreta
A meo Benſen pepuliſſe dictum
fulminis ictum.

Clara

Clara me virtus domini coëgit,
Hinc meus naſcens amor id peregit:
Ut novis odis hominem juvarem
clade levarem.
Ecce quàm ſemper fuerit modeſtus!
Nemini faſtu rigido moleſtus:
Cuncta componens humili decore
abſque tumore.
Hæc viri virtus humilis regebat
Quicquid in chartam calamus ferebat:
Penna ne ſcripto foret inſolenti
aſpera genti.
Hinc viri ſcriptis vacuis ſuperbo
Semper à faſtu, tumidóq; verbo,
Invenis nudas modò veritates,
non levitates.
Hinc viri ſermo nihil eſt thraſonis
More ventoſus: neque fert colonis
Nauſeam, quando rogitant juvamen
atque levamen:
Sed bonum frænat moderamen ora,
Verba quò fiunt magè gratiora.
Exulat faſtus: caret os fragore,
lingua tumore.
Hæc ſimul virtus habitum gubernat,
Veſtium ut pompam, ſtrepitúmq; ſpernat:
Palla de tergo fluat ùt modeſta
per ſacra feſta.
Hæc dapes menſæ regit, & ſalinum:
Ordinat vitri geniale vinum;

Ordinat cuncti faciem cubilis,
nescia bilis.
Ejus hæc virtus bene temperata,
A suis cunis prope comparata
Omnium rerum fuit una norma
optima forma.
Hoc modestorum genus esse rarum,
Est nimis certum. Teneas amarum
Ergo mors ensem: neque tam modesto
durior esto.
Igne vibrato jaculare fastum
Gloriâ, & vanâ levitate pastum
Et superborum tumidas phalangas
fulmine frangas.

Mors Palladis rhythmos contemnit.

MOrs ubi sonorum sæva percepit melos,
Exasperatis faucibus, bilem sui
Monstravit animi: clamat & rauco prope
Solia tumultu concutit: nescis ait
Quàm Mors gubernet fascibus in æquis solum,
Non parcit humili: nec superborum solet
Transire fastum: fulmine æquali necat,
Seu quis superbum jactet ad nubes caput:
Seu reptat humili sordibus in imis pede.
Necdum Machæræ subtrahis Bensen meæ.

Togata

TOGATA PALLAS
ad mortis tribunal
pro vita
LEVINI FRIDERICI BENSEN
perorat
ARGUMENTO
ab ejus præclara in DEUM pietate
desumpto.

ÆAcum semper patior furentem:
Nec queo duram variare mentem.
Sed tamen rursus nigra claustra tundo,
fletibus undo.
Cerne sacratum pietatis æstum
In meo Bensen: age Mors adesdum:
Hanc viri flammam meditare claram,
perspice raram.
Vix polum Phœbus veniens subivit:
Cùm statim in fibras pius ignis ivit:
Qui per accensum gremium calescit,
quando diescit.
Inde devotus calor in flagrantes
Se preces solvit: superis amantes
Promit affectus, sua vota pandit,
æthera scandit.
Numen in psalmis celebrat paratis:
Laudibus Christum colit applicatis:

In Deum tendit redamante totus
pectore motus.
Et sibi cœlos rogat esse scutum
Quo diem à fato feriente tutum
Vivat è votis: pereátq; fractus
Dæmonis actus.
Dum polo titan revocat phlegontem,
Vesperi salsum repetitq; fontem:
Et chaos noctis redit invalescens
orbe nigrescens:
Est vigil Bensens pietas medullis,
Ardet in somnis tenebrísq; pullis:
Cor pium noctu stabilis favilla
occupat illa.
Linque devotum caput, oro, Minos:
In greges telum jace belluinos,
Qui solent cœli dominum negare
aut violare.
Palladem exaudi tibi supplicantem,
Pro suo Bensen nimis æstuantem,
Hunc precor tandem sine Mors cupitam
vivere vitam.

MORS

In fatali sententia persistit sed in illum finem, ut tam pius in Deum Doctor melius post fata suum Deum comprehendere & amare possit.

ERgo Mors inquit (modicùm de bile relinquit)

 Est

Eſt ſatis: audivi: quin ipſamet omnia ſcivi:
Scivi Benſenis pietas quæ plurima venis
Ardeat in Numen, fidei poſt nobile lumen:
Et quot devotis intrà Conclavia votis
Sæpe vocet Chriſtum complecti poſſit ut iſtum.
Promoveo votum, sacrúmq; in pectore motum:
Quémq; Deum noſcit, magis ut comprendere poſſit,
Efficiam certo, dum vitam funere verto.
Namque ego quando virum per tot præconia mirum
Carne ſua privo tollóq; ex agmine vivo
Tunc carne exutus, Mortíſq; per arma ſolutus
Fortius ardebit, mage dilexiſſe valebit
Numen ſupremum. Manet hæc ſententia demum:
Ut Numen prendat Benſen, ad funera tendat.
Hìc te compeſcas hìc Pallas amata quieſcas
Illa quidem flevit: tamen hic mutata quievit.

Prænobilis, Doctiſſimus, Conſultiſſimúſque
DOMINUS
D. MARCVS DANIEL SCHLEET
Juſtitiæ in Provincia Hadelenſi Præſes
AMOR PATRIÆ
defunctus.

ARma quidem & diri præludia claſſica Martis
Germano ſiluêre ſolo, ſiluêre furores

Militis

Militis irato certantis prælia ferro,
Quærentisq; suas in fuso sanguine lauros.
Rursus in armisono statuit pax aurea circo
Frondentes oleas, & mutat amoribus iras,
Oscula, & amplexus positis mucronibus offert.
Mors tamen humanæ Mors invida bellua sorti
Pergit bacchari, pergit delere machærâ
Ingentes cumulos cymbámq; onerare Charontis.
Heu quot Cerbereæ monstrum hoc infame cloacæ
Egregias animas ævo prope perpete dignas,
Dignas æthereum vivendo æquare Tonantem
Sternit, & evertit, vermiq; in prandia donat.
Heu mihi! luctisonus mœstis sedet *f*) ilibus horror.
Musáq; concussis tremit enervata medullis:
Dum Mortis fulmen, dum funera plurima monstri
Percurro mecum & tremulâ percenseo mente.
Utque omnes alias hujus bacchantis hyænæ
Hìc sileam clades, sileámq; tonitrua falcis
Cætera: barbaries crudæ nuperrima mortis
Stravit humi Schletum, telóq; tonante medullas
Rupit, frigenti dulcem de pectore vitam
Expulit, & claros lachrymante dolore penates
Ac totam complet funestis lessibus urbem.
Heu mihi! jam quantam Mors atrocissima cladem,
Quàm dignum luctu, dignúmq; ululante tumultu
Funus librato fecisti bellua telo!
Heu mihi! contundit querulus mea viscera planctus,
Vix patitur sua fræna dolor: vix temperat acer
Luctus, vix justum permittit versibus æstum.

 Sanè

f) Ilia, idem quod viscera.

Sanè pierium vatis confunditur œstrum
Hoc feretrum, hæc crudæ subiit dum mortis imago.
Parce tamen furiose dolor, compesce furores
Paulisper; donec Schleto mea Musa parentet:
Et magni modico celebrentur carmine manes.
En hâc funereâ Marcus clarissimus arcâ
Conditur: hac tristi cineres clauduntur in urnâ.
Quid dicam? quáve incipiam panegyrin odâ
Dulcis amor patriæ ferali mortis ab ictu
Concidit, atque hujus diri fit victima monstri,
Et barathrale suâ brutum de clade saginat.
Dulcis amor patriæ tumbâ componitur illâ,
Atque inter mœstæ lamenta sonantia turbæ
Inter plorantes urbis patriæq; dolores
Ad tristes tumulos vespillonúmq; lacunam
Effertur, toto planè avellendus ab orbe.
Dulcis amor patriæ rodentibus hostia g) blattis
Lautáq; millenis fit demum vermibus escâ.
Heu quâ te dignâ potero cantare Thaliâ
Noster amor, patriæ votum commune gementis,
Deliciæ quondam civis, dulcísq; voluptas
Hadlensis populi, quâ te celebrabimus arte!
Quæ tanto decori poterit par esse Camœna!
Quisquis Cæsarea fuit unquam jussus ab aulâ
Rexisse Hadlenses ùt Commissarius oras,
Hic Marcum est pleno semper complexus amore:
Marco sæpe sinum, sæpe arcanissima pandit
Pectoris: in Marcum se totum effundit: & hujus
Judicio unius crebrò sensúq; pependit:

Sæpe

g) Blatta, certus vermis.

Sæpe per effusas in multa encomia voces
Testatus, qualis Marci sub pectore virtus,
Quanta fides, gemini quàm multa scientia juris,
Quæ vis ingenii, qualis prudentia rerum,
Copia consilii, pietas sincera lateret.
Quiq; scabinorum schultetorũ nq; gubernat
Ordo Hadlense solum, semper dilexit amico
Affectu Schletum: studio venerante probavit
Sæpe suos animos, & quo decus illud haberet
In pretio patulâ crebrò sub luce reliquit:
Addictæq; dedit sæpe optima symbola mentis.
Ottrendorpiacâ qui civis vixit in urbe,
Serius ille simul Marci vivebat amator.
Dicere non vereor sancto corda omnia furto
Abstulerat Schletus, sacróq; repleverat igne,
Sincerúmq; sui cunctis ingessit amorem.
Fumea nitrati juro per flumina Ditis:
Qui Schletum hos patriæ non dilexisset amores,
Hunc ego tartarei nutritum felle molossi,
Sanguineo pastum tabo crudelis hyænæ
Et de caucasea fabricatum rupe putabo.
Fastus & inflati ventosa superbia sensûs
Nulla viro suberat: nullo jactantia verbo
Se prodit, nullo vani pro more *b*) thrasonis
Erupit gestu, se nullo emblemate monstrat:
Dictabat justas dilecta modestia leges
Quæ veluti Regina domum dominũ nq; regebat,
Ac humili semper componit cuncta decore.
Ille nec austerus, nec trux, nec crudus & asper

b) Thraso, pro jactabundo.

Insequitur miseros, plebis contemptor egenæ
Despiciens *i*) Iros, solis locupletibus hospes:
Quin cunctis facilis, semper blandissimus omnes
Affatur miseros: solatur quémq;, nec ullum
A se dimittit quem non juvisse paratus
Extitit, illius dum res & causa sinebat:
Sive ille abjectâ fuerat de fæce Menalcas
Clarior aut aliquis majore â stirpe dynasta.
Hoc unum tibi vulnus erat dulcissime Schlete,
Sæpe quod auxilium non admittebat iniqua
Causa tuum: certúmq; scelus, multóq; probatum
Teste nefas pœnam, invitásq; popofcerat iras.
Quis non diligeret decus illud amabile gentis!
Quis nisi sylvestri durus de rupe *k*) Procustes?
Quis nisi cerberei catulus spurcissimus hydri!
Tu sidus, tu Phœbus eras suavissimus urbis
Hadlensísq; soli, qui fulgidus ore sereno
Et blandis semper radiis hoc orbe micabat,
Haud tempestatem rugosa fronte minatus.
Quis non diligeret! cuncti pater esse solebas
Optimus afflicti, studióq; & amore juvabas,
Ut poteras miserum, paupertatísq; patronus
Tutum semper eras Iri lugentis asylum
Quis non diligeret! tua quin dulcissima virtus
Humanúsq! lepos & conversatio fraudis
Nescia solvebat pectus quodcunque ferinum,
Hostes emollit, quemvis & amare coëgit
Paucis multa canam patriæ populiq; fuisti
Dulcis amor, generísq; decus, jaspísq; decora
Stemma-

i) Irus, pro paupere. *k*) Procustes, latro.

Stemmatis, atque urbis celeberrima gloria nostræ,
Sed tamen hos nostros rapuit mors tristis amores:
Injicit in tumbas, terræq; sub aggere condit:
Damnat & atratâ decus illud nobile nocte.
Ite piæ lachrimæ, plenis torrentibus ite:
Lachryma cum luctu sit nostri testis amoris,
Dum sublatus amor, dum gloria concidit urbis

Musa lamentatur, ob truncatum sibi unum pedem: dum scilicet Typographus unum pedem in carmine heroico omiserat.

Poeta solatur Musam, quod illum pedis defectum facilè sit suppletura singularis ejus suavisque facundia

NOstra typographicis nuper tristissima prælis
Musa redux, ululante implet musæa tumultu,
Concutiens tremulos lachrymante furore penates.
Sed nullum fecisse gradum vel figere gressum
Infelix poterat; flens portabatur Atlantis
Illa humeris, fidósq; super deposta lacertos
E plateis proprias tandem defertur in ædes.
Ut conturbatas Nymphe lugubris in aulas
Importata fuit, rursum sua fræna dolori
Laxat, & attonitum gemitu plorante cubile
Contudit, immergens flero mala fata fluento.
Audivi gemitus, resonósq; per aëra lessus,

Et lamentanti frendentia carmina luctu.
Obstupeo totus, curro, mea filia, quæro,
Ecquid sic ploras? oculis cur defluus imber
Ille ruit? tantóq; strepunt lamenta fragore
Quis latro, quis diri furiosus Cerberus orci,
Aut quænam epotis fors ebria *l*) bassaris obbis
Invasit Musam? ferróque, aut *m*) ilice tortâ
Vel conjurato cladem Mavorte minatur?
Vel saltem grandi vomuit convicia plaustro
Innocuam lacerans crudeli vulnere famam?
Unde illo horribili, lachrymetur nænia planctu.
Pande precor fatum, narra mœstissima stragem
Quam deflet tantis hæc scena tragœda querelis.
Illa quidem passum mihi vult exponere fulmen
Hostilésq; iras: sed semper debita frangit
Verba dolor: nimius voces singultus in ipso
Gutture detruncat, virésq; viámq; loquendi
Tollit, & infaustis tristem tantummodo cursum
Indulget lachrymis, mutísq; ululatibus æstum.
Ergo cùm voces dolor & suspiria rumpant,
Lamentata pedem monstrat mihi Musa sinistrum.
En pes truncus erat, talúmq; abruptus ad imum.
Crudo carnificis veluti foret ense revulsus.
Nempe typographicus dum vult finxisse magister
Mensuram metri, & Musam componere prælo
Nititur, Hexametri malè cautus carminis unum
Abjicit ille pedem, crudóq; hoc vulnere Nympham
Truncat, & æquali generosam heroida passu
Incessisse vetat, cogítq; occurrere claudam.

Musa

l) Bassaris Lymphata Bacchi ministra. *m*) Ilex, quercus est.

Musa ubi truncatæ damnum miserabile plantæ
Et videt, & monstrat, magis irritata dolore
Ejulat, exululat, stillat currentibus undis,
Ad cladem *n*) Niobe non consolabilis illam.
Uim demum facit illa sibi, raucóq; loquelam
Gutture protundit, séque ipsam in verba coëgit:
His tandem duris aperit sua vulnera metris,
Immiscens multas gemebundis luctibus iras:
Vah latro, clamabat, vah dura è rupe *o*) Procustes,
Vah sævus *o*) Sciron vibravit fulmen, & omnes
In nos effudit furibundi pectoris ignes;
Quando *p*) chalcographus secuit de corpore plantam,
Méque infelicem, truncam post præla reliquit.
Ad quid jam clari suavissima gloria vultûs,
Ad quid tot frontis Charites, tot in ore lepores,
Tot conquisitæ miracula dulcia formæ
Ad quid profuerint? dum processura vacillo
In lævam decies, & præteriisse volentem
Tundo labans populum, prope quem de pondere sterno.
En jamtum nostram, dum præsens claudico, scenam
Irridet petulans ex omni gymnade pubes:
Centenis sannis fata infaustissima pungit:
Et satyris & felle fricat: pro more *q*) Lycambæ
Mordet: & inflictum, metra per sarcastica vulnus

 Asperat

n) Niobe, Nympha perpetuo flens. *o*) Procustes & Sciron, nomina latronum. *p*) Chalcographus, idem quot typographus. *q*) Lycambe; nomen viri sarcastici.

Asperat: & miseram prope per ludibria Musam
Enecat insultans: jamtum quia audio vulgus:
Pars clamat
Ecce procedit bene pota r) Mænas:
Dum Deo fibras habet illa plenas
In latus nutat, cadit, atque trudit,
ebria ludit.
Pars clamat
Ecce Vulcanus penetrans barathrum,
Cespitans, labens, redit in theatrum,
Quin ego risu, lepidóq; plaudo
carmine claudo.
Pars clamat
En novum s) Empusæ genus obviavit,
Musa dum trunco pede claudicavit.
A novo spectro fugiens juventa
currere tenta.
Sic me loripedem vulgus joculare scholarum
Excipit, & salsis explodit ubique cachinnis.
Quis procus ad nostros jam curret anhelus amores?
Quis Paris amplexus Helenæ nunc offeret isti
Non Dea, sed monstrum quæ procedendo patescit.
Quis corrivalis spectro duo basia figet?
Me quis emet tandem? quis per sestertia bina
Vult Musam esse suam? portento quisquis ab isto
Abscurret properus; ne prodigiosa Megæra
Nutando tundat, labentéq; pondere sternat.
Heu mihi quod fatum, quantámq; typographus iste
Inflixit

r) Mænas, lymphata Bacchi ministra. s) Empusa, furia cum uno pede.

Inflixit cladem! tu Pindi Præses Apollo
Sunt cui Musarum fata adversantia curæ:
Tu tu vindictâ modicâ solabere flentem;
Hoc precor, hoc Clariam te Phœbe adjuro per undam:
Fac novus ut satyris exsurgat Horatius odis;
Hunc qui lictorem, truncatorémq; cruentum
(Chalcographum dico) mordaci torqueat œstro:
Exagitet metris pungenti cuspide plenis:
Felle *t*) Theonino pro vino & nectare potet:
Et bene dentato pecus illud *u*) çarminet ore:
Ut post rodentem vix ultra compos jambum
Ille sui maneat: renuat sua fercula mensæ:
Nauseet in pateris Bacchum: de nocte quietis
Expers, insomni vigilet perterritus umbrâ,
Sola sui questus crepitantia tormina ventris.
Ut sic infandam tenuis tamen ultio plagam
Mulceat, & nostros isthæc retributio sensus
Componat, tumuletq; meos oblivio casus.
Sic furit, & mœret: sic totas quæstibus ædes
Accendit plangens: frænúmq; modúmq; querelæ
Nescit: & est flendi mera frendendíq; libido
Ast ego complexus Nympham, solamina promo:
Infortunatam blandâ demulceo prosâ:
Abstergo lachrymas: labris pia basia figo:
Compono mœstos gemitus, animósq; jacentes
Erigo: & irati post sæva tonitrua cœli
Blandè ridentem contendo reducere solem.

Filia,

t) Theon, homo mordax. *u*) carminare pectere seu per dentes trahere uti lanam & linum.

Filia, proclamo, vatis dilecta voluptas,
Pone tuos questus, & mœstum rejice scema:
Ore serenato magis occurrisse parenti
Juverit: & fracto rursum arridere furore.
Confiteor: grandes ferientis fulminis ictus
A chalcographico mea Musa es passa tyranno,
Carnificina typi dum plantam corpore vulsit.
Confiteor: fuit hæc sat grandis & horrida clades,
Quæ mihi compatiens quoque cor atque ilia rupit
Sed tu crede mihi: juro sacra flumina Ditis:
Pegaseas alas, caudatáq; syrmata juro:
Hoc fatum, hoc vitium, & pedis accusabile damnum
Ter decies supplet tua plurima copia fandi:
Supplet blandiloquæ nectar laudabile linguæ:
Supplet jucundi Decus admirabile metri:
Supplet multa Charis, clarissima gloria pensi
Supplet, & extinguit claudi probra turpia x) tali.
Eloquii flumen dum tu mea filia pandis:
Vincis facundi celeberrima rostra Quirini:
Vincis Tulliacæ miracula pulchra figuræ,
Et demosthenicæ portenta diserta cathedræ
Vincis, & ingentis mendacia docta Maronis
Exsuperas longè, palmam, laurùmq; coronámq;
Auffers antiquis, magis admiranda, poëtis.
Tu solum nectar loqueris: tu mella favósq;
Sub linguâ dicente tenes: dulcedinis os est
Et domus & sedes, mera quâ tu sacchara condis,
De dulcoratâ tingens melligine versum.
Sat scio: (nostra tuæ mens est bene conscia laudis)

Sat

x) Talus, pro inferiore parte pedis.

Sat ſcio: Muſa, tuis, qui ſtillant nectare, rhythmis
Viſa mihi ſæpe es Pindi ſuſpendere Nymphas:
Sat ſcio: dum dulcis tua ſappho ambone ſonabat:
y) Melpomene attonitâ ſtetit immutabilis aure,
Nec poterat ſuavi mentem ſaturare fluento:
Incantata velut polyhymnia dulcibusq; odis,
Nectar & ambroſiam, veterémq; oblita voluptam,
Se cantante tuo tantùm paſcebat ab œſtro!
Ipſe tuis metris ſeſe acclinârat Apollo
Declamante tuo vix avellendus ab ore:
Per Phœbi citharam claróſq; in Phocide fluctus
Juro: mellitam ceciniſti quando poeſin:
Pegaſus ipſe tuæ ter ſenſit mella camœnæ:
Ore fero riſit: frontem ter in aëra jactat:
Térq; jubas, caudámq; quatit: ter ſcemate læto
Hinnit: & abreptus jucundi nectare versûs
Auſcultaturas avidus ſatis applicat aures,
Oblitus pratum, veteréſq; oblitus avenas:
Mox alis plauſit, mox crura rigentia jactat,
Et tentat ſaltus, varióſq; in corpore flexus,
Hæc ad mira tuo ſtimulante choreumate plectro.
Inceſſu claudo ſi non Dea clara pateſcis:
Os vocémq; Deæ ſimilis mea Muſa putaris.
Hæc plena ambroſio dulcis facundia ſucco
Quoſvis (crede mihi tantùm) ſuccendet amores,
Pectora mulcebit, quin ferrea corda reſolvet:
Ut procus innumerus circum tua rhythmica perſtet
Carmina, ab ambroſiis pendens attentior odis.
Pallados eſt quiſquis ſectatus caſtra togatæ,

Te

y) Melpomene, una Muſarum, uti & Polyhymnia.

Te bene promptus emet: velut aptum exemplar habebit,
A quo facundâ bene fingere disceret arte.
Te multus caupo, te diversoria poscent:
Hospes ut externus salibus jucundus ab istis,
Vina inter lætos bibat exsolvenda cachinos.
Te sanè decies quæret postaria rheda:
Ut bene longa tuis fallantur tempora nugis:
Ut tua z) Terpsichore sat amaras mitiget auras:
Reddat iter lætum, tempestatésque sonoras
Temperet, & brevior longissima semita fiat.
Te noster miles, te dux heroicus emptam
Esse volet, resonísq; tuis, mea filia, plectris,
Insomnes noctes, vigiles super aggere curas,
Muríq; excubias decies lenire studebit:
Te legum interpres, te juris Doctor habere
Contendet multus: buccis & hiantibus illos
A te cantanti cernes pendere magistros,
Et a) pandectarum sat tædia multa suarum
Ad resonam advertes crebrò detergere chordam.
Te clerus templi, mystarum maximus ordo;
Téque b) pedi solemne decus, te gloria mitræ
Crebra petet, metricóq; frequens sua seria ludo
Permiscere volet, vestros succedere rhythmos
Psalmorum penso, & sancto volet illa labori.
Ipsa coronatæ majestas regia frontis,
Ipsáq; Cæsarei suprema potentia regni
Augustúmq; caput tua facundissima poscet
Ora: ut curarum torquentia pondera possit

Garritu

z) Terpsichore, una Musarum. a) Pandectæ, libri legum. b) Pedum pro Episcopo.

Garritu minuisse tuo, mentémq; gravatam
Ad tam sacchaream bene distraxisse poësin.
Decussam supplet decies facundia plantam,
Atque oris prædulce Melos. Modò filia mentem
Erige & excussos studeas componere sensus.
Vulcanus claudo repsit per compita passu:
Sed sublime genus, sanguísq; à principe cœli
Deductus, vicina Jovis cognatio summi,
Loripedis texit vitium palpabile cruris:
Atque ipsi Veneri fecit sat amabile monstrum.
Erige Musa animos, & flentes abjice c) threnos!
Nobile frontis ebur, facundia mellea linguæ
Sunt exoptati magnes bene magnus amoris,
Et vel inhumanum trahet ille potentius hostem,
Quàm possit vitium truncatæ avertere plantæ.

DIRÆ
IN MORTEM OB CAJUM
sumpto avidius frigido lacte ruri inter epulas, subitô extinctum.

EGere luctantes anima indignata querelas:
Egere: & in Mortem, monstrum hoc ferale cruentum,
Hanc in compactam millenis fraudibus hydram,
Hoc in cerberei pignus fatale molossi,
Hanc in avernali spumantem peste dracænam
Excute collectos cordis cerebríq; furores:

Excute

c) Threnus, est lamentum.

Excute ringentem ſub acerbo pectore bilem:
Excute fulmineos animi implacabilis æſtus:
Excute: in hoc brutum Mavors deſæviat omnis.
Oſſeo in hoc mónſtro portentoſáq; leæna
Non poterunt errare iræ, non flammeus errat
Turbo, nec ingenti volitantia fulmina tractu.
Promeruit cuneos tempeſtatémq; tonantem,
Hoſtiferóſq; iræ meret inſatiabilis ignes.
Nuper enim Cajum miſerandâ ſtrage necavit.
Cajum, dimidium noſtri, vitámq; vel ipſam,
Cajum, orbis florem, mundi prænobile ſidus,
Cajum, titanem gentis, generíſq; triumphum,
Delicium Regum, Majeſtatíſq; beatæ
Fulcrum, fallaci protrivit bellua pulſu.
Juro fallaci: nam mors ſat ſubdola feſtos
Mentitur plauſus, mentitur mella, melóſque,
Mentitur choreas, mentitur gaudia ruri:
Virus ut externo tacitum ſub melle ſepultum
Certior intrudat: cladémq; ictumq; paratum
Non obſervato ſecurior inferat aſtu.
Ecce etenim Cajum curarum pondere laſſum,
Mors, hæc vulpinæ fabricatrix dædala fraudis,
Mors, fallax Circe, vafri germana ſinonis
Et ſoror & proles, Mors peſſima filia Ditis
In virides educit agros, in florea Panos
Jugera, & in Dryadum invitat nemoroſa fruteta:
Ut ſub frondoſâ ſua tædia diſſipet orno:
Ruraléſq; inter Nymphas, Fauníq; ſorores
Jucundo largum Baccho fundente falernum
Diluat ægroto triſtes de pectore curas.

Non

Non videt insidias Cajus, nec fulmina mortis
Unquam crediderat sub ovantibus abdita festis,
Ergo juvat pleno rodentia tædia lusu
Frangere: curarum juvat excussisse procellas:
Pansáque mulcenti permittere carbasa vento:
Festa dies agitur, sub agresii festa mapali,
A salibus caluere casæ: jocularibus odis
Antra strepunt: sonuítq; focus: satyrásq; facetas
Angulus omnis habet: multísq; leporibus ipsa
Horrea riserunt: risit cum stramine juncus.
Gaudia mensa juvat, dum sub frondente salicto
Illa suas epulas, bellaria, liba, placentas
Assáque & elixa, & longi farcimina tractûs
Offert, & dulci trahit in convivia luxu.
Prodigus in festum Bacchus sua nectara largo
Depromit fluxu, & flaventi spumeus ore
Circulat in mensis: læto plauditq; fragore
Allisis vitris: claróque per arva tumultu
Vivat, io vivat lepidis clamoribus urget:
Vivat: & æternam dent astra benigna salutem,
Quam nullus livor mordacibus impetat iris:
Nec morbus frangat, nec fallax fulminet hostis.
A Baccho ad choreas itur: vitulante per herbas
Discursu se quisque rotat: faciliq; reflexu
Volvit agitq; pedes, corpúsq; per aëra librat
Omnis rure chorus. Senio permixta juventus
Et conjuncta suo cum Mopso rustica Baucis,
Cum Phorbante Codrus, vel cum Coridone palæmon
Implicitis manibus lepidos per mille recursus
Exercent saltus: ut fument jugera pulsu.

Ipſa jocos famoſi *d*) Pales & gaudia riſit
Et *e*) Pan & Faunus lepidum ſtupuère theatrum:
Applauſit ſatyrus, riſumq; effuſus in altum
En inquit nunc ſtiva ſalit pigra ruris aratra
Subſiliunt, numerántq; ſuos ad carmina greſſus.
Interea rauco feſtum taratantara tractu
Cornua curva ſonant, lyra, fiſtula, crembala, clangunt,
Queis animant Choreas, & vivo murmure feſſos
Accendunt ludos & bacchanalia mulcent.
Quis putet hoc hilari fatalia fata ſub æſtu
Condita! quis credat furias, odiúmq; ſcelúſq;
Mortis, in hoc plauſu lætóq; Choreumate ruris,
Fulmine & infeſto potuiſſe tonare tumultu!
Sed poterant: grandiq; ictu ridentia fregit
Orgia Mors inopina: & læta tripudia vertit
In tragicum pagina, in taxos, in triſte ſepulchrum:
Atque hilarem Cajum (dolor & furor ilia rumpunt)
Atque hilarem Cajum (vah horrida barbara clades!)
Atque hilarem Cajum vibrato fulmine ſternit:
Eripit è gremio vitam: gelidóq; ſtupore
Membra ligat. Nam poſt potata falerna
Poſt longas choreas ardentibus æſtuat extis
Igneſcens Cajus: poſcitq; coagula lactis
Extinctura ſuos calefacti pectoris ignes.
Heu me! quid poſcis? pectus mihi frigidus horror
Concutit: & tremulo ſaliunt præcordia pulſu.
Hæc dum vota meas currunt inſana per aures.
Ah cave ſis Cai, tua, dilectiſſime, vota
Corrige: nec demens tibi lactea nectara poſcas.

Poſtulat

d) Pales, Dea pecoris. *e*) Pan & Faunus, Dii ſylveſtres.

Postulat ille tamen. Clamat, da rancida Dipsas,
Da stibuli Galatea mihi mulctralia dona,
Queis gelidus pinguisq; cremor, flos lactis, abunde
Innatet: internam mens est sic frangere flammam.
Ah utinam rabidæ mulctralia dolia vaccæ
Calcibus illisis frangant: atque arida tellus
Lactea vina bibat, cupidâq; absorbeat alvo.
Sed quis fatorum possit convellere leges!
Lac promit Galatea suum, miscétq; cremorem
Atque adipem florem lactis: bibe ludicra dicit,
Mulsa per agrestes nascentia candida campos:
Ipsa nec hunc niveum damnabit Juno Lyæum.
Interea in succos Mors fallax insilit illos:
Mixta cremore natat, nivcísq; his volvitur undis,
Utq; magis certo Mors baccharetur in ictu.
Nec patulis Cajus sese subduceret iris:
Ipse pius candor, sinceræ tessera mentis
Semper germanæ bona simplicitatis imago,
Machina fit fraudis, fit detestabile cladis
Organon, & mortem nivibus sepelivit in illis,
Supremámq; tegit cygnæa hac luce ruinam.
Siste precor Cai, quò te rapit æstus & error?
Horrida crudeli Mors innatat ipsamet ollæ,
Mortem & fata bibes: hoc nectar amystide quando
Educes avida. Mors illo rore sepulta est.
Sed frustra moneo, cantatur fabula surdo.
Elevat ad dentes feralia munera Cajus
Apponitq; ori pateras: uno omnia tractu
Mulsa bibit; totis mortem sepelitq; medullis.
Nunc litui, clamat, postremam clangite Musam.

Unum ruralem furere & decurrere saltum
Ultima nunc mens est, & festam claudere scenam:
Dixerat: & vitam claudit: Mors pota per omnes
Descendit fibras: lacerat præcordia, & ipsum
Cor furiosa ferit, valido trux verbere frangit:
Atque animam miseri toto de corpore raptat.
Mox lethale gelu, glaciali singula brumâ
Membra ligat: gelido stat pallor luridus ore:
Nox oculis piccata sedet: rigor horridus omne
Corpus habet, celeri veluti quod fulmine quassum
Concidit: & tremulâ subitum jacet æde cadaver:
Nec semel in signo mutitve hiscitve vel ullo.
Tunc ruri lamenta sonant: tunc angulus omnis
Ejulat: & frendent ululante mapalia lessu.
Flet casa, flet Baucis, flet cum Phorbante Palæmon:
Flent Nymphæ & proles, nihil est nisi lachryma conjux.
Ipse coronatus gemit in cratere Lyæus:
Ipsa tremunt pulsis bellaria pallida mensis.
Palluit, erubuit, tremuit Dea Flora: sororq;
Obstupuit concussa Ceres: commotáq; quercus
Horruit: & motu pyrus est confessa pavorem.
Vah portentosum, Mors fallacissima, monstrum!
Condere perpetuo stygiæ sub sulphure Lethes:
Umbra nec exilis de tali restet hyæna.

LAMENTA

Ob pestem Otterendorpiensem Provinciæ Hadelensis: ubi pestis persona, pestis comites, pestis

pestis acta in solo Hadelensi, & secuta strages describuntur: & cur plures è fœmineo quàm virili sexu fuerint peste absumpti.

Pars prima

Ingressus.

QUin aganippeo jam septem pocula ponto
Musa rapis: sacróq; reples tua viscera fluctu:
Grandéq; facundis deponis in ilibus œstrum.
Nam per pestiferas ibis mea Musa phalangas:
Et pestis rabiem, pestis damnabile fulmen
Cantabis docto Nymphe Pimplea furore.
Congere nunc animos, & fibris excute Numen.
Ne treme, ne tituba, dum mortis triste theatrum,
Dum strages hominum, dum plena cadavere rura
Dum cernes totas efferri ex urbibus urbes.
Indue magnanimos Erato laudabilis ignes.

Pars secunda.

Propositio & partitio operis.

ECce suo erumpit pestis phlegetontia claustro,
Obviat, adrepit: nostro intractabilis adstat
Larva sub aspectu: studiis meditantibus offert
Putre caput: nostro pingi vult bellua metro.
Ne trepident ad monstra cheles, nec plectra vacillent:
Nec fuge Musa feram: tu bruto animosior adsta:
Intrepidis odis personæ inamabile spectrum
Depingas primò; comites expone secundò:

Tertius horribiles Hadeleno in climate ſtrages
Attonito veſter cantabit verſus in œſtro.
Ultima tunc dicet fidibus trepidantibus oda,
Cur mulier multo ſit crebrior hoſtia peſti
Maſculeus quàm ſexus erat. Sit is ordo laboris.
Imbibe Muſa animos & juſſam prome Camœnam.

Pars tertia.

Peſtis perſona & nativitas deſcribitur.

Vah peſtis ferale pecus lethaléq; monſtrum;
Vah quâ çimmeria concepta eſt beſtia nocte!
Quâ ſcrobe, quâ furvâ crudelis echidna palude
Hæc prognata fuit? quo deteſtabilis umbra
Eluctata chao eſt? patriam, cunáſq; leænæ
Muſa mihi memora. Sed Lethes fumea juro
Æquora. Styx, antrum Ditis, ſpelunca Megæræ,
Cauláque cerbereo quondam latrata moloſſo
Patria peſtiferæ fuerit nativa * ceraſtæ:
In qua terribili pecudem formaverit ungue
Barbara Tiſiphone: ſtudio quam juverit omni
Eumenis, & crudis Alecto amplexa lacertis
Truſerit in talem macilentum plaſma figuram.
Ipſa venenatas Proſerpina peſſima mammas
Præbuerit decies: formidandiſq; papillis
Plurima funereum lac inſtillarit Erinnys.
Nutrierit tygridem furiarum tota caterva:
Hæc ſaniem lernæ, ſpumam ſputúmq; chelydri,
Illa jecur colubri, cor hæc ſeptemplicis hydræ

Illa

* Ceraſtes, ſerpens.

Illa acherontei tabum cum felle draconis
Hæc Erymantheo sudatum virus ab apro
In pultem, & primas monstro congesserit offas!
Horrida nascentis circùm cunabula spectri
Integra castra strygum, bubonum immensus acervus,
Corvorum cumulus, grandis globus Harpyarum
Insulsos rhythmos, ululantes turpiter odas,
Lugubres threnos, atque absona metra boarint,
Et faustum infaustis de pulvinaribus omen
Dispulerint longè: Lucináq; jusserit ipsa
Atropos ut piceæ mera fila simillima nocti
Duceret: atque atris fata exitialia lanis
Clauderet, à pestis nunquam cervice movenda,
Quin styga juro iterum: fraudes, mendacia Circe,
Barbariem Mœdea, iráſq; mináſq; Megæra,
Livorem Clotho, studium nocuisse Celano,
Tartarus omne malum pestis concluserit alvo.
Aspice jam frontem monstri: prô quale theatrum!
Mille, & mille doli truculento hoc pegmate certant:
Diráq; sub tumidis latitat violentia rugis.
Aspice nunc oculos: flavus latet ignis in hirquis:
Et motu nictante salit; dum prodit in auras,
Nutavere lares, qui proximus, intremit aër:
Ipsáq; pupillis mors exit plurima motis.
Quisque venenato timet absumendus ab igne.
Aspice maxillas: in putres hirta lacunas
Est gena collapsa; & geminas hæc bellua valles
Circumfert vultu: sed quo nisi virus hiatu
Abdit ut in promptu sint instrumenta nocendi.
Os quoque, nunc specta; quod, si reseraverit antrum,

 Spuma

Spuma ruit, saniésq; fluit, sputúmq; per illam
Erumpit portam, quo rura urbésq; propinquas,
Quo prati pecudes, campíq; intoxicat herbas.
Sin tygris in modicam distenderit ora loquelam:
Barbara terribilis loquitur modò fulmina bucca:
Unde tremit mundus, mundi pars magna fatiscit,
Et bacchabundæ cadit hostia lurida pesti.
Sed jam cerne manus: sanè hæc ut bina flagella
Ex humeris pendent: quæ dum jactaverit hydra,
Concutit innumeros; tali quos proterit ictu:
Ut Jovis irati jurares fulmine quassos.
Planta salit semper: nunc has nunc insilit istas,
Errabunda domos: nunc hoc in rure vagatur,
Nunc pernix alio discurrere pergit in orbe.
Sed quò latro venit sua toxica seminat istic:
Mortiferámq; luem multâ cum strage relinquit.
En corpus crudele lupæ: vix ossibus hæret:
Quin ipsas facilis visu penetrante medullas
Distinxisse potes: macies modò pervia fibras
Obtegit: éstque macræ, pestis soror ossea mortis.

Pars quarta.

Pestis comites.

PErsonam pinxi: comites jam dicere mens est
It Clotho ad dextram: gerit ebria sanguine tela
Adductósq; arcus, promptósq; ad fulmina nervos.
Illi se junxit Lachesis, falcémq; libratam
Vibrat, districto minitans mera funera ferro.
Præfica lugubri vultum contecta cucullo

It comes, & multo ferit ubera pallida planctu;
Ejulat & campos ululante furore per omnes
Errat, & in facta renuit solamina clade.
Atropos ad lævam, veluti fidissima vadit
Filia, & ingentem ter circumcircinat ensem
Stillantem tabo, crebróq; à funere truncum.
Multus & à facto fractus vespillo labore
Cum palis uncísq; suis tenuisse sinistram
Cernitur, & lachrymis tremefacta bipalia mergit.
Sæváq; barbaries illi permixta cohorti
Vadit, dedignata preces, ululantia spernens
Vota, cachinnanti plaudens ad fata tumultu.
Subsequitur luctus ploratis udus ab undis,
Tristem perpetuo contundens aëra planctu.
Post flentem luctum mala desperatio vadit:
Jam resti fregisse gulam, jam rumpere ferro
Viscera, jam ponto nimios sepelire dolores,
Jam per congestas vitam comburere flammas
Ardet, ab excelsa vel se protrudere rupe.
Subsequitur tremulo lymphata insania gressu,
Obliquos distorta oculos, excussa cerebrum,
Incerto palata gradu, spumâq; fluente
Horrida, & insanos à tabo sordida rictus.
Illa satellitio pestem gens ambit honore:
Hac pompâ, his sociis, hâc majestate severâ
Portentum properans Hadelensi constitit orbe:
Ottrendorpiacam sese acclinavit ad urbem.

Pars

Pars quinta.

Pestis acta in solo Hadelensi.

JAm quid prodigii cudat mirare, ſtupeſce.
Pergit ad occiduos primò ſatis incita tractus:
Quæq; venenatâ pendebat ſtiria nare
In mucum concreta gravem, lethaléq; phlegma,
Eripit è vivo, multum indignata canali,
injectátq; ſolo, tremulo diſſeminat agro,
Adjungit Diras, facit execrantia vota:
jam virus viréſq; tuas, ait, exere pædor:
Aggrediare Hadelen factâq; in ſtrage triumpha.
Mox orientalem vertit ſe peſtis ad oram
Et quater ore ſpuit, pavidas ſputúmq; per auras
Jactat, & incuſſa tremefecerat aëra fæce.
Perge luti virus, clamat, te vindice plaudo.
Tunc Boream versùs frontémq; & toxica vertit:
Et bene diſtentis ter turbida rictibus halat:
Exhalátq: atram pansâ de fauce mephitim.
Ter quoque diducto minitans tygris oſcitat ore:
Et putridum fumum, denſúmq; à ſplene vaporem
Efflat, & afflatis populum vult frangere morbis.
Inde procelloſum ſubitò diſcurrit ad Auſtrum:
Involat in Lacheſin, lateri quæ proxima ſtabat,
Et Thyas lymphata velut, pleno impete falcem
Evellit manibus, rotat inſatiabile ferrum:
Clamat, ab effuſo mea falx ſatiabere tabo.

Pars

Pars ſexta.

Secuta ſtrages in ſolo Hadelenſi.

VIX titubante ſuper compleτat jugere ſcenam
Peſtis, & inſtanti præluſerat aſpera fato:
En gemitus urbem, pulſant ſuſpiria villas,
Aër, & tremuli reſonant ſingultibus agri:
Lachryma ſalſa ruit: triſtes ululantibus ædes
Planctibus implentur. Juvat Echo conſona luctus.
Prominet infeſtæ circum undique mortis imago:
Ille per afflictum ſtupet ulcera plurima corpus,
Pure videt manare latus, ſaniémq; ruentem
Aſpicit, & plagæ neſcit mirabilis ortum.
Hic cùm ſylveſtres prope robore vinceret ornos:
Jam ſubitò tritas queritur quaſi fulmine vires:
Rumpendúmq; caput metuit: cadit ille per herbas
Mortuus: iſte velut ſpectrum per jugera repit,
Et larva occurrit larvæ: ruat utraque donec:
Déque repentino funeſtent funere villam
Concidit ille domi, replétq: Cadavere lectum:
Iſte ſinu matris, gremio puer ille ſororis
Deponit vitam vix puncto temporis ægram:
Sponſa ſuo figit dum dulcia baſia ſponſo,
Labitur exanimis trepidæ dedit oſcula terræ:
Hic ſuper uxorem, ſupra cadit illa maritum:
Concidit in plateis ſervus, dominiq; ſalutem
Fert piceo Diti, creberrima fata Charonti
Nuntiat: & promptos monet eſſe a! littora *f*) lembos:

Dile-

f) Lembus, navis.

Dilectum g) Pyladem, dilectus visit Orestes:
Alter in alterius, vitam dimiserat ulnis.
Labitur ad mulctras Galatea, ad aratra Palæmon.
Titirus ad capros, cadit ad sua plaustra h) Metiscus,
Ad panes pistor, coquus exspirabat ad offas:
i) Abra domo properat, dominámq; pedissequa quærit:
Neutra tamen primos repetivit viva penates;
Utraque ad atratos it pernicissima manes:
Dædalus aggestis moriens incumbere ceris
Visitur: & cerdo scissas narratur k) alutas
Inter ab attracto pestis riguisse veneno:
Miles de vallis, de penso & pectine textor
Sæpe cadit, nullúmq; potest attollere membrum.
Labitur ad speculum l) Chloris; pompâq; sub ipsâ
Vadit ad ignotos Helene jam mortua manes
A lecto ad lethum leno deducere lenam
Debet, & in gelidæ procumbere mortuus ora.
Heluo sub dapibus, ruit inter pocula lurco.
Occidit ad sacras devotus præsbyter aras.
Congelat ad Baldum doctor, sub carmine vates
Obriguit: mulcet dum parva puella m) Lyciscam
Multa caput vertigo rotat; sed septimus orbis
Circuitu graviore rapit de pectore vitam.
Funus ubique jacet; mors omnem concutit oram
Ergo novus n) Chiron, Podalirius, atque Melampus,

Et

g) Pylades & Orestes, magni amici. h) Metiscus, auriga Turni. i) Abra, famula. k Aluta, corium l) Chloris, pro formosa. m) Lycisca, nomen canis. n) Chiron, Podalirius, Melampus, Pæon, medici.

Et doctus Pæon externa ſede vocantur.
Ille parat ſuccos, medicum coquit iſte falernum;
Hic ab odorifero ſudantia balſama ligno
Abripit: & lachrymas de myrrhæ cortice lapſas
Miſcet, & excocti conjunxerat unguen olivi.
Iſte quater merdam lentos diſtillat ad ignes,
Et de bis cocto miſcebat alumine florem,
Zingiſer, atque piper, modicâq; ex calce favillas
Addit; & hac certè vult peſtem occidere pulte,
Alter decrepiti contundit cornua cervi:
Setas jungit apri milleno verbere tritas,
Sudorémq; nigri de crure priore caballi:
Et modò ſi poſſet crepitum adjeciſſet equinum,
Atque olidum forſan ſue de ſudante vaporem:
Inde facit maſſam, pinſit, coquit, aſſat, & ungit,
Et vult hoc docto peſtem diſrumpere bolo.
Tertius in grandi mera ſumina lixat aheno,
Sumen cornigeri ſumptum pulmone biſontis
Craſſum ſumen apri, ſumen vulpíſq;, lupæque,
Et bene caudati ſumen de ventre catelli.
Hoc liquat, hoc tundit, multóq; volumine gyrat;
Et juratq; crudæ certiſſima funera peſti.
Quartus adhuc alio peſtem vult frangere bello.
Námq; alias ſpecies ex arbore & æquore raptas
Contundit ſcelers, & cudit ſorbile mulſum:
Præparat emplaſtrum, pigrum ceromate pannum
Ungit, & artifici fabricat de pixide plaſma,
Quod lateri imponat, peſtémq; è pectore pellat.
Unctivæ quintus medicamina rejicit artis,
Et ſudoriferas tantùm vult ſcribere praxes.

Ergo ille infirmo fumantia balnea mandat:
Includit vasi, sub collo dolia claùdit:
Vúltq; caput solum sudanti exstare theatro.
Mox ter sub pedibus vinum succendit adustum:
Plantas supposito geminas urebat ab igne:
Et prope per flammam carnes atque ossa liquabat.
Mox sudor pleno prorumpit ab artubus imbre,
Torrentis de more ruit; natat æger in undis:
Sperat in his pestem se submersisse procellis.
Sed pestis risit, medicósque exploserat hostes.
Elusit studium, curásq; artésq; Galeni,
Elusit succos, emplastra elusit & ignes:
Pæonis ingenium, campíq; eluserat herbas:
Omnis ab occulto fuit ars elisa veneno.
Quódq; magis stupeas: perit ipse Melampus in arte:
Concidit in medico delusus pulvere Pæon:
Victricémq; suo declamant funere pestem.
Ergo quatit miseram prope desperatio gentem:
Et solum superest gemitu lachrymante polares
Pulsavisse choros: cœlum si fortè medelam
Ferret: & hoc miserum vellet depellere fatum.
Sed surdum cœlum est: nequeas ex pumice guttas
Expressisse duas: vel aquis extundere flammas.
Quin pesti laxas cœlum indulgebat habenas:
Vindictæq; juvant cœlum superiq; ministram.
Ergo iterum lamenta fremunt; miserandáq; planctus
Mœnia contundit, grandis dolor, ira, tumultus
Omnia permiscent: ululant urbs, arva, penates:
Ipse fatiscentis cinis aridus ejulat urbis.
Mox tamen à sanctis fervescit curia curis,

Mœsta

Mœsta sub effossâ condendi funera glebâ.
Sed renuit quivis humeros supponere tumbæ,
Se mortem portare ratus, mortísq; futurus
Cras certum spolium, pestem si ferre feretro
Vellet, & extinctum facto clausisse sepulchro.
Hìc fuga sit melior: quævis præsentia lædit.
Demum promisso fuit emptus bajulus ære,
Pauper de trivio, mera quem penuria rerum
Et truculenta fames, & honestæ vestis egestas
Cogunt pestiferæ sprevisse pericula tumbæ.
Ille venenatas arcis imponere larvas
Aggreditur: funúsq; suo componere tergo,
Injectúmq; scrobi jacto super abdere limo.
Nulla sepulchralis defuncto pompa parentat:
Deflua nigranti tunc nulla tapetia luxu
Vestivere umbram: nec linum pendet ab urnâ:
Nec tædæ manes, nec lugubris ignis honorat.
Non ludit Clio lachrymanti pectine jambos:
Non lamentanti præconia debita metro
Docta canit sappho: passis elegia capillis
Nulla sonat, nullo laudes epigrammate promit:
Omnis Musa illis procul infelicibus umbris
Exulat: infaustum nimiùm pavet anxia virus:
Non præit atratus mystes, qui postea pullo
Ex ambone fremat tumuliq; encomia lato
Ore crepet, populúmq; suâ suspendat ab arte.
Quærit quisque fugam: mera muta silentia scenam
Stipant, & manes horror modò luridus ambit,
Qui tamen elatas succollat portitor urnas:
Ille stupescendum plateâ lachrymante theatrum
Præbuit: accensum nam portat in ore tabacum:

Inter fumivomos sua fert funalia dentes:
Et sub sarcophago fumos eructat & ignes.
Ut sic squallentes umbrarum exurat odores.
Et putridum fumante suo levet aëra nimbo.
Præfica cognatam non ordinat ulla sequelam:
Nam consanguineum declinat quisque cadaver.
Et dolet affini se quondam sanguine junctum.
Ipse nepos evitat avum, soror anxia fratrem,
Et socrus gemebunda nurum: patruele relicto
Patruus, à functâ matertera nepte cucurrit.
Tantùm sandapilas squalórq; stupórq; sequuntur.
Sed tamen ùt toties emortua portitor ossa
Affert, & crebris nova poscit manibus antra:
Sedit ad innumeras lassius vespillo lacunas,
Imbre fluunt artus, succumbunt membra labori,
Pala manu lapsa est, tremulâ cadit harpago dextrâ.
Desperat: manibúsq; suis præcordia tundit,
Deplorátq; vices; & fata hoc carmine plangit.
Sum fractus totus, transcendit copia vires:
Urbs urbe effertur: nil nunc sunt mille cavernæ.
Jam busta aggestis fiant fumantia fagis:
Deficit ad tumbas campus: fors flamma sepulchris
Par fuerit. Quantæ populo incubuere procellæ!
Prô quantam cladem polus in nos excutit ultor!
Ah superi, & vestrum & pestis frænate furorem:
Reliquias servate gregis, servate cadentem
Urbem: permaneat civis de clade superstes.
Sed cassus gemitus: frustrat suspiria fatum,
Votáq; deludit: plenis ad *) transtra Charontis
Curritus

*) Transtrum, scamnum in navi.

Curritur, agminibus: grandes ſtupet ipſe catervas
Nauta ſtygis: feſſus metuit ſuccumbere lembus.

Pars ſeptima.

Cur plures è fœmineo quàm virili ſexu peſte perierint.

PRodigium ſed cerno tamen, mirabile dictu.
Dum longo ad campos ducuntur in ordine manes,
Fœmineo decuplo plures de ſanguine tumbæ
Nigra ſepulchralis ſubiere cubilia glebæ:
Quàm de maſculeo: nam dum de gente virili,
Peſtifero binos brutum ferale veneno
Proſternit: decades totas aconita necabant
De grege fœmineo: ſuperant mulicbria fata
Maſculeum numero novies deciéſq; ſepulchrum,
Bellua dic cauſas, multo cur crebrius urnas
Impleris mulicbre genus: dic barbara peſtis,
Cur ſuper imbelles muliebri è gente catervas,
Amplius excutias tonitru: vibratáq; flamma
Plura è fœmineo necet exemplaria ſexu.
Credo, tuis iris armíſq; opponere ſolam
Virgo colum, liníque poteſt ſua penſa puella:
Hinc cùm ſat facilis tibi fit de virgine laurus:
Crebrior imbelles exarmatáſq; cohortes
Contuderit rabies, & per mulicbria palmam
Funera quæſieris, facili Mavorte tenendam.
Sed tu crede mihi, non tales clara triumphos
Gloria nobilitat: magis has infamia lauros
Inficit: & labes ſedet illo infixa trophæo,

 Fulmi-

Fulmine felici tam crebrò victor Achilles
Mactavit nullas sudore tonante puellas.
Apros & pardos, rictu spumante leones,
Masculeásque acies ferróq; irâq; feroces
Stravit, delevit, victore mucrone necavit.
Quin est materies pulchræ clarissima laudis,
Fœmineo cessisse gregi: trux fulmen inermi
Avertisse choro: blandi dum gratia vultûs,
Dum tener amplexus, dulcis dum basia menti,
Dum fragilis sexus, dum lacteus ubere succus
Virgine pro salva forti ratione perorant:
Alea nunc versa est: stat plurima virgo sub ictu:
Crebrior est mulier victrici victima pesti.
Bestia dic causas, cur sic insaniat œstrum.
Sed pecus est mutum, dedignatúrq; rogantem.
Ergo mihi causas melior mea Musa recense.
Nam tibi tota patent pecudis penetralia mutæ.
Musa agit *p*) Oedipodem, & cladis mysteria pandit.
Pestis habet fratrem, dicit, Mars nominat illum
Orbis. Libratis Mars intonat ille machæris,
Ignibus & nitro creber pluit ille tyrannus:
Flammatósq; globos diro per inane tumultu
Urget, in humanum facta instrumenta macellum.
Nuper nitrato dum baccharetur in igne:
Innumeros stravit cumulos de sorte virili.
Juro per ignitas Cociti in gurgite spumas,
Mascula per latos tam multa cadavera campos
Mactavit nuper tonitru lethale Gradivi:
Ut prope caucasiæ procera cacumina rupis

Plurima

p) Oedipus, nomen vatis.

Plurima masculeæ superarint agmina stragis
Ipsemet attonitus tremuit spectacula Phœbus;
Avertítq; oculos, instigatósq; caballos
Ursit id invisum prætervolitasse theatrum.
Quod si jam mulier post funera tanta virorum,
Staret ab illatâ solummodo clade superstes:
Hæc major numero, populo confisa frequenti,
Protinus imperium raperet: sibi turbida braccas
Indueret; generiq; omni dominata virili,
Imperiosa domi fasces Regina rotaret:
Vixque virum obliquo trux dignaretur ocello,
Masculus interea sexus muliebria passus
Fræna sub indignis sua fata doleret habenis.
Quas nec magnanimis disrumpat Martius iris,
Nec prece probrosa posset vellétve subactis
Excussisse humeris: gemitu sed tundere solo
Deberet mansos æterno dente lupatos.
Vah facinus! vah turpe nefas! vos sidera cœli
Masculeâ tam grande scelus depellite sorte.
Et pepulere poli. Venit hinc sævissima pestis
Et post masculeæ tam multa cadavera classis
Et ferro & flammis fratris mactata Gradivi;
Protinus ulta viros pestis muliebre furenti
Sternit clade genus: majorem provida frangit
Et delet numerum: q) tribui facit æqua virili
Fata puellarum: mulier frænúmq; jugúmq;
Ut subjecta ferat: quando antiquissima fati
Et vis & lex est: dominos ut fœmina frænos
Sentiat: atque viri jussus ut adoret heriles.

 Sed

q) tribui, à tribus.

Sed quid fœmineæ quid maſculeæ ve cohortis
Nos clades, nos fata juvent meliora precemur:
Quin vir quin mulier, quin utraque gloria mundi
Stet magis, & ſalvam procul omni fulmine frontem
Efferat, illæſæ conjungens gaudia vitæ.
Dì precor, attonitæ duo ſæva tonitrua terræ
Et Martem & peſtem patriâ propellite noſtrâ:
His à portentis Acheronteiſq; chelydris
Reſpiret mundus, qui certè pene fatiſcit.
Poſt cladem, tandem redeant primæva beati
Sæcula Saturni: plenis invecta quadrigis
Proſperitas largo fundat ſua munera cornu.

LIBER TERTIUS.

MUSA GRATULATORIA.

ECCLESIA
Cathedralis Paulina
Monasteriensis

sub scemate

Templaris Nymphæ

fatis

Defuncti præstantissimi Decani

Reverendissimi Excellentissimi Perillustris

Gratiosi DOMINI

DNI. FRANCISCI LUDOLPHI JODOCI à LANDSBERG

multûm illachrymata

Erigit animos temperat dolores lætitiæ vultum induit Intelligens omnino egregium in Decanali Prælatura Successorem

Reverendissimum Excellentissimum Perillustrem

Gratiosum Dominum

D. FRIDERICUM CHRISTIANUM JOSEPHUM L. B. de GALEN ex Dincklage

omnium votis in pleno Reverendissimo Illustrissimo Cathedrali Collegio electum

FAustitas omnis veniat Galeno:
Gratias cœlum pluat imbre pleno:
Cœlicas donec subit ille sedes
Numinis ædes.

Anno 1732. 19. Februarii.

NUper tartareum Parca infeſtiſſima Clotho
Eluctata chaos Landsbergi in tecta Decani
Irruit, & crudam gyrans furibunda machæram
Excutiénſq; atras liventibus ilibus iras,
Fila Decanalis longè pulcherrima vitæ
Rumpit, diſcindit, ferali fulmine frangit.
Concidit ad furias monſtri digniſſimus ævo
Lansbergus præſul, paſsúſq; tonitrua Clothus
Triſte Decanali procumbit funus in aula
Vix cladem funeſta domus, vix funera ſenſit:
Cùm Paulina ſimul patratam eccleſia ſtragem
Audiit, & clarum famâ narrante cadaver
Accipit attonito templaris pectore Nympha:
Et velut incuſſo foret illa impulſa tonitru,
Obriguit: mentem ſubitus pene excutit horror:
In tremulum demum collapſa eſt Nympha ſedile,
Luctibus indulgens, & laxans fræna dolori,
Creditáq; ad manes deſcendere velle Decani,
Et ſacram ſtrinxiſſe ſuis amplexibus umbram.
Ut tamen horrentes à grandi vulnere ſenſus
Compoſuit modicùm, decurrens lachryma pleno
Imbre ruit, totóq; ſinu, totóq; ſedili
Stagnat, & effleto vult mergere fata fluento:
Ubera lugubri Nymphe mœſtiſſima planctu
Tundit, & ingenti lugentia templa tumultu
Concutit, infauſtos dum vult explere dolores:
His demum rhythmis luctum egeſſiſſe laborat.

His

Quale jam rurſus Cathedrale culmen
Pulſat infeſtat furiale fulmen?
Clade me quantâ Libitina fundit
vulnere tundit!

Concidit Landsberg celebris Decanus,
Præſul à nullâ levitate vanus,
Concidit ſtratus Lacheſis ſeverâ
ille machærâ.

Ite jam leſſus, ululate luctus,
Concutit grandis mea templa fluctus:
More torrentis lachrymæ per ora
ite decora.

Ille virtutum fuit ipſa forma,
Clericæ vitæ fuit una norma:
Optimum exemplar dedit hic cuivis
præſes ubivis.

Juſta regnabat Themis in medullis:
Quam Maro metris ceciniſſe nullis
Poſſit ex æquo; ſuperat Catullos
atque Tibullos.

Hæc Themis Plutum à trutinis fugabat
Calculos æquos modò collocabat:
Ut rei ſemper meritum petebat
júſq; volebat.

Arſit in fibris amor in Tonantem:
Nullus hunc caſus potuit flagrantem
Frangere, aut furvus recubans avernis
Pluto cavernis.

Cor putes aram propriam fuiſſe:

Isto in altari nihil extitisse
Quàm sacram flammam superos volentem
astra petentem.
Sensus in mente est humilis modestus,
Qui pedum gressus regit, atque gestus,
Temperat vocem moderat salinum
atque catinum:
Imperat luxum procul esse tectis,
Atque vestitu: stolidúmq; lectis
Ejicit fastum, bona sanioris
regula moris.
Præsulem hunc semper pietas agebat:
Sæpe cui Pluto niger infremebat,
Hanc piam flammam cupiens necare
annihilare.
Flamma sed quovis sacra sub labore
Constitit semper: quoque sub dolore
Ultimi morbi stetit in priore
illa vigore.
Pauperum semper pater, ille vixit:
Sæpius blando pius ore dixit:
Pauper est proles mea, quam juvabo
quámq; cibabo:
Ergo in hujates inopes profusus,
Patris affectu specialis usus,
Multa donavit facilis petenti
millia genti.
Quodque restabat reliquum bonorum,
Consecrat templis, dicat optimorum
Cœlitum laudi, Triadíq; divæ
æthere vivæ.

Splen-

Splendor hinc templum cathedrale grandis
Ambit: & quò tu modò bina pandis
Lumina occurrit gravis obstupenti
gloria menti.

Si tuam mentem satis explicares:
Regiam molem fabricam putares;
Sic chorus templi micat à decore
fulget honore.

Vir tamen tantus cecidit peremptus:
Estque nunc clero decor hic ademptus:
Præsulem insignem necat una missa
morte sarissa.

Quale me vulnus lacerat misellam!
Quâ viâ luctum miseranda pellam!
Hanc ego ad stragem prope sido fracta,
fulmine tacta.

Sic tristis luxit; pia lachryma plurima fluxit:
Sic cor mœrores, sic cor egessit amores:
Sic cleri fatis Landsbergi in funere natis
Indoluit plangens, & mœsta hæc rhythmica pangens,
Tristitiæ plenos dum vult permittere frænos.
Demum dum luctu, tantóq; miserrima fluctu
Nymphe turbatur, varióq; angore rotatur;
Morpheus advenit, plagas solamine lenit:
Ille Deus bellos Nymphæ claudebat ocellos,
Mulsit mœrores, præsagos ille sopores
Sollicitus cudit, pérq; omina dulcia ludit.
Námq; quiescenti sed adhuc sua funera flenti
x) Phantasos adstabat, qui pulchrum drama parabat:
Hic

x) Phantasos, somnus personas exhibens.

Hic Carolum magnum superi jam culminis agnum
Lusor confingit, claráq; in imagine pingit:
(Templum hic fundarat primum lapidémq; locarat)
Stat cinctus lauro, claro fulgentior auro,
stellis plena meris humero tergóq; *b*) poderis
Ad talos fluxit, syrma admirabile duxit:
Vestivit tantum mera cœlica gloria sanctum:
Sed quod mirandum, quod prodigiúmq; putandum
Non sceptrum vibrat, sed dextera symbola librat,
Nempe Galenorum nativum insigne suorum
Ostendit gaudens, pérq; intima jubila plaudens:
Clamat, in his *c*) ternis uncis solatia cernis.
Mox comes & rhetor venit hoc ad drama *d*) Phobetor,
Atque hic Ludgerum vivaci scemate verum
Induit: insontem supra stetit infula frontem
Alba virum vestis, nivis, imo in pectore testis
Totum comebat, talos & ad usque fluebat;
Ast quod mireris, neque casu obtingere reris,
Dextrà pedum nescit, claves tamen altera gessit,
Sed templi claves: quas ipso ex omine suaves
Uncis suspendit: curvo pulchrúmq; pependit
Augurium ferro nec vates conscius erro.
Ludgerus rursum quæ pendent pallia sursum
Arreptat lætus, gestúq; oculísq; facetus
Uncis appendit præsagia dulcia vendit:
Hoc est germani clarum inquit syrma Decani:
Denique consuetum Divus fert ille biretum,

Atque

b) Poderis, oblonga vestis. *c*) tres unci DD. Galenorum ingsigne. *d*) Phobetor, somnus personas exhibens.

Atque uncis nectit, séque ad solatia flectit,
Subridens dixit, Landsberg per funera frixit:
Sed cùm Galenus virtutibus ilia plenus
Illi succedat, modò mœror corde recedat:
Nympha potes mentem nunc erexisse jacentem.
Ut tacuit Divus satis hìc succurrere vivus,
Phantasos adrepit, rursum sua scenica cœpit;
Sistebátq; bonum templíq; aræq; patronum,
Paulum cœlestem, quem vult consurgere testem:
Hujus habet pectus, fuit hujus cyclade tectus:
Hujus habet vocem, nulla de bile ferocem:
Demum sic fatur, Paulus velut ipse loquatur:
Quousque tandem Nympha fluentibus
Mersisse perges ubera lachrymis?
Ut tota salso de fluento
Roret humus, poplitésq; stillent,
Quousque plenis luctibus aëra,
Singultienti sidera murmure,
Et ejulanti cum tumultu
Templa voles tua verberare?
Dedisse tempus frena doloribus
Et lachrymatos tergere rivulos:
Tumultuantes Nympha demum
Tempus adest, cohibere lessus,
Mutata vultus indue jam novos;
Amœniori scemate corrige
Tragœda jam tandem theatra,
Jubila mœstitiam sequantur,
Nam cerne scandit culmina præsulum
Per cuncta lectus vota Galenius:

Ille in cathedram ſurrogatur
Morte ſui viduam Decani.
Vir iſte raris dotibus inclitus,
Eſt dignitatis gloria clericæ,
Virtutis omnis pulchra ſedes,
Et patriæ ſacra gemma noſtræ.
Egreſſa buſtis ſin Acheronticis
In templum & aras irruat hæreſis
Tentétque ſpurco de veneno
Membra domûs violare ſacræ:
Defendet aras ſanctus ut Hercules
Galen Decanus: toxica belluæ,
Monſtriq; fraudes amovebit
Sollicito pius Hector æſtu.
Erumpat Orco ſin aliud ſcelus
Clerúmq; noſtrum fallere, perdere
Mendace palpo, melle falſo
Aut alio meditetur aſtu:
Pugnabit ardens in ſcelus impium
Virtus Galeni: nec ſacra prælia
Priùs remittet; quám ſceleſtus
Totus erit ſuperatus hoſtis.
Iſtius ardet præſulis ilibus
Sacratus ignis, qui ſtimulat virum
Urgétq; multùm, quando clerum
Vult aliquod populare crimen.
Ignes in illo magnanimos tamen
Altóſq; forti pectore ſpiritus
Superbienti nullus unquam
Faſtus agit violátve motu.

Sedet

Sedet medullis ipsa modestia:
Regitq; mentem sensus humillimus
Qui gloriosos post triumphos
Igniculos animi refrænat.
Comem cuivis, & facilem solet
Præbere sese: nec rigidus negat
Solamen ulli, vel juvare
Consilio meliore plebem.
Misellus Irus, pauperiem fame
Rodente passus, præsule sub novo
Patrem benignum, liberalem
Ære dato reperit patronum.
Simul Galenis est pietas fibris
Devota flagrans, quæ prece plurima
Affusa ad aras, cor Tonanti
Sæpe sacrat reliquísq; Divis.
Crebris adorat muneribus polos,
Ut adjuvantes æthere gratias
Sic nundinetur, sic frequentes
Conciliet superûm favores.
Hoc in Decano summus & infimus
Emblema vitæ conspicit optimæ,
Gaudétq;, quando pulchra spectat
Facta suis sociata verbis:
O Nympha fas est grandia præsule
Sperare tanto. Tu gemitus modò
Compesce tandem: sub Galeno
Lætitiam revoca Decano.
Sic Pauli vocem, formámq; imitatus & ora
Phantasos, electum sua per suffragia nuper

Præsulem

Præsulem in adducto sistebat carmine rhetor.
Solatur Nympham, fletum depellere rorem
Tentat, & afflictum reparat per gaudia pectus.
Nympha ubi depulso caput erigit ægra sopore,
Miratur semet: versi proscenia ludi
Obstupet: & læti vix dum nova gaudia cordis
Ipsa capit: vultu cœpit ridere jocanti:
Exultare sinu: spirare tripudia toto
Pectore: plaudenti meditari jubila gestu
Atque exultantem sese componere ad æstum
Sed vix Nympha suo surgit lætata sedili:
En Dea Fama venit, quæ lætas lapsa per auras
Constitit ante ipsam post multa volumina Nympham.
Illius ingenium satis est mirabile Divæ.
Sæpius ex parvo graviter sic crescit eundo
Ut terras pelagùsq; simul crebrò impleat omne:
Immensóq; sonet tunc clamosissima mundo.
Grandis de celeri dependet tergore saccus,
Quo streperos mundi solet inclusisse tumultus,
Et verum falsúmq; simul componit eâdem
In cumulum perâ, cujus si solverit ora,
Rumor in attonitum currit quàm plurimus orbem,
Contunditq; solum, populum suspendit hiantem
Effusisq; suas jubet ultra spargere nugas.
Dextra tenet lituum, fixa est nola plurima suris:
His strepit & garrit, patulásq; fragoribus aures
Opplet, & inceptæ finem vix invenit odæ.
Hæc stetit ante oculos oratrix nuncia fama,
Et multis narrat, cantat, clamátque, Galenum

Unanimis

Unanimis lectum tandem cathedralibus e) urnis
Insuccessorem pro functi sede Decani.
Et jurat decies se nunc non vendere fumos:
Commentum nullum fallaci fingere metro:
Rem cantare ipsam: tripodem neque verius unquam
Oraclum prompsisse: & flammipotentia jurat
Cocyti Lethésq; vada, inferniq; Tonantis
Testatur caulas, sacrámq; in Apolline barbam:
Galenum certò factum nunc esse Decanum:
Ipsáque pernumerat cathedralia in ordine longo
Vota: umbram dubii minimam quamcúnq; revellit.
Ergo Templarem dum nec dubitatio Nympham,
Nec timor ullus agit: lætanti gaudia vultu,
Exultans promit: ridet, plauditque, salitque
Atque his cantabat sua dulcia jubila rhythmis
Surge demum mens serena;
Oda clange nunc amœna:
Læta vultum come scena:
Gaudiorum messe plena
Jubilabo personabo
Nostra cordis gaudia.
Nam Decanus est Galenus
Dote multa corda plenus:
Is cathedram jam subivit,
Quando Landsberg hinc abivit,
Evocatus laureatus
Ad polorum gaudia.
Eja chordas Musa tange
Melle fœta metra pange:
Est procella dissipata

e) Urna, suffragium est.

Pulſa prima nigra fata.
Dum ſerenus jam Galenus
Ut Decanus eminet.
Scande ſedem dignitatis:
Æviternis illa fatis,
f) Carolóque ſic favente
Atque *g*) Paulo promovente
Eſt parata fabricata
Ad Galeni gloriam.
Et profectò ſic decebat.
Multa virtus ſic merebat:
Pulchra vita provocabat,
Eligentes incitabat
Ut ſacrarent dedicarent
Vota Galen ſingula.
Ergo metro ſingulari
Perge Muſa gratulari:
Perge plauſum fabricare
Arte cuncta perſonare:
Sic docenda detegenda
Ima cordis jubila
Io vive luſtra mille;
Vince Majos ter Sybillæ:
Hoſtiúmque frange fraudes:
Cedat aptè quicquid audes,
Sola mella, nulla fella
Fauſta donent tempora.

IaM VIVas ſanVs, faCtVs per Vota DeCanVs.

f) Carolus magnus, templi eſt fundator. *g*) Divus Paulus, templi eſt patronus.

PLAUSUS GRATULATORIUS,

Quo

Urbs Glückstadiensis

FRIDERICUM IV.

Serenissimum, Clementissimum, Potentissimum

DANIÆ, NORWEGIÆ, REGEM

Schlesvvici, Holsatiæ, Stormariæ, Wagriæ Ducem

Oldenburgi, Delmenhorsti Comitem

DOMINUM SUUM GRATIOSISSIMUM

Glückstadium ingredientem

officiosissimè humillimè

excipit.

Hostibus sis Rex FRIDERICE fulmen
Hi tuum debent timuisse culmen:
Te tamen norit bona diligentem
turba parentem.

Glückstadium Serenissimo REGI suo longam vitam

felices terrâ mariq; expeditiones & omnem felicitatem officiosissimè apprecatur.

ERgo age, jam quivis solvare in gaudia civis,
Lætantémq; æstum, plausúmq; è pectore festum
Excute: ridentem stupeant modò compita gentem
Ecce etenim sospes successit mœnibus hospes
Rex tuus, o civis, de cujus munere vivis,
Rex tuus optatus, precibus, plus mille vocatus,
Rex qui votorum fuit unica meta tuorum.
Semper dicebas, & ab imo corde petebas:
Hoc utinam fatum Glückstadt paterere beatum,
Ut sacra Majestas Danorum summa potestas,
Ut Rex FRIDRICUS, clemens, humanus, amicus
Urbem hanc intraret, præsens ad mœnia staret,
Omnia lustraret, civem populúmq; notaret,
Per fora per vallos ageret Dana aula caballos.
En cœlum audivit, quod cor gemitúsq; petivit:
Huc Rex concessit, FRIDERICUS in urbe patescit.
En venit totus per tot præconia notus,
En venit totus, freta qui per vasta remotus.
En venit totus, per tot suspiria votus,
En venit totus multa dulcedine fotus:
Se tibi permisit, tua mœnia valláq; visit.
Ergo veni civis, propera de jugere quivis:

Excute

Excute languorem: varium mediteris honorem:
Sparge tuos flores: cordis testeris amores:
Quàm tibi sit gratus, quàm civi Rex sit amatus
Mille loquare modis, mille exultantibus odis:
Quódq; potes tenta, nunc officiosa juventa.
Nec celebrare satis rebus queiscunque paratis
Grande potes nomen, fortunæ optabilis omen.
Ergo urbs exulta: jam cude tripudia multa.
Nunc io & lætum, multóq; lepore facetum
Vivat cantetur, cœlóq; sonante vagetur:
Vivat Rex Danus, per plurima sæcula sanus:
Nestora vivendo vincat patriámq; regendo:
Nec queat apriles Tycho pernumerare seniles.
Et canam vitam tum ponat denique tritam:
Dum satur annorum, cupit ipsemet astra polorum.
Vivat: prostratis, victricéq; clade necatis
Hostibus insultet: ferróq; & fulmine multet,
Quisquis vel Regem voluit vel temnere legem:
Quisquis & in bellis fuerit vel in urbe rebellis,
Augustum culmen, vindéxq; è culmine fulmen
Squalidus horrescat, titubante tremore pavescat:
Procumbens oret, gladium victoris adoret.
Tu rape Rex almam post martia prælia palmam:
Omnes victorem norint coluisse furorem:
Téque triumphantem veneretur terra tonantem.
Vivat: se vivus cum sclopo atque ense Gradivus
Substernat Regi: Regisq; per omnia legi
Armâq; & insignes Mavors accommodet ignes.
Et per quos menses Rex Danos strinxerit enses,
Junge tuam veram Mars obsequiose machæram,

Junge tuas diras jaculati fulminis iras,
Junge tuum ſtrictum gladii implacabilis ictum:
Ut decertantes Dani gladiúmq; vibrantes
Hoſtem contundant, & caſtra hòſtilia fundant:
Et certa ad noſtrum victoria convolet oſtrum:
Invictúſq; Hector regni audiat undique Rector.
Vivat: Neptunus curet quoque ſolvere munus:
O ponti Numen, Divorum nobile lumen,
Noſtro parentem Regi ſubſterne tridentem:
Tu frangas fluctum: ne cauſent æquora luctum:
Tu cohibe cetos alieno funere lætos:
Monſtráq; tu fræna: tu verte pericula plena:
Tu ponto ſcenam fabrica Neptune ſerenam:
Danica dum claſſis velis vult tendere *b*) paſſis.
Atque ubi certandum pelagúſq; in bella parandum,
Malo incurrendum, proriſq; in roſtra ruendum,
Hoſtiléſq; rates, hæ ſtructæ ex ilice crates
In freta mergendæ, nitro, flammiſq; petendæ:
Tu tu ſudores Dani nautæq; labores
Adjuviſſe velis, Regi Neptune fidelis.
Hoſtibus horrori, Dano ſit claſſis honori.
Quin fortuna venis cum corbibus aurea plenis:
Et bona fatorum diſpenſas dona tuorum:
Felicémq; facis belliq; & tempore pacis
Hunc Regum florem, FRIDERICUM gentis honorem.
Rex tam præclarus milleno nomine charus,
Sortes optatas ex omni parte beatas
Eſt meritus ſanè: non do mendacia vanè:
Hoc pietas mentis, virtus innata Regentis,

Hoc

Hoc animus fortis contemnens spicula mortis,
Hoc humilis gestus, sensúsq; tenórq; modestus,
Justitiæ cultus, rigidúsq; ad crimina vultus
Hoc cor mansuetum grandi bonitate repletum,
Larga manus dandi meritósq; ad magna levandi,
Fervor solandi miseros, studiúmq; juvandi:
Sylváq; virtutum, faceret quæ rhetora mutum,
Dudum poscebant, dudum dona illa merebant.
Ergo conspirent, sese illuc omnia gyrent,
Cœlum cum signis, cum terra pontus & ignis,
Auráq; cum ventis, cum cunctis regna fluentis:
Ut fortunatus, nulláq; ex parte gravatus
Rex sit is humanus nativo sanguine Danus,
Rex tam selectus, famâ super æthera vectus,
Rex tam præcellens, vultu prope nubila pellens,
Rex adeo magnus, populo mitissimus agnus,
Rex cujus, tersum decus admirabile, versum
Omnem transcendit, licet ipse ad carmina tendit
Phœbus cum Musis, nervis simul omnibus usis.
Nunc hoc postremum de toto pectore demum
Apprecor: ut serus, tamen hæres denique verus
Atria clarorum subeas augusta polorum:
Nectara cum vivis per sæcula singula Divis
Epotes lætus, plenúsq; in pace quietus,
Et per longævum mera gaudia noveris ævum.

Glückstadium
Serenissimum suum REGEM
sub titulo patris patriæ officiosissimè veneratur.

MArtia fulminei miracula Danica ferri,
Et fusas victore nitro per jugera turmas,
Ereptas hosti lauros, stratásq; tonante
Marte acies, tritas erecta trophæa per urbes,
Cæteráq; egregii generosa tonitrua belli
Decantent alii: cantet novus illa Tibullus,
Qui vim virtuti, qui gestis pondera, versu
Addat, & invictos, metri cantantis honore,
Amplificet gladii sclopiq; nitriq; labores
Rex pater est nobis: patrem mea carmina cantant.
Sint alii, versu qui Dana palatia grandi
Atque ampullatis cantent ad barbita verbis:
Demonstréntq; orbi celsis quæ gloria tectis
Ardeat: & pompâ prope mausolæa lacessat:
Nos patrem canimus: sub patris currimus umbram.
Declament alii Danas quæ regia mensas
Copia, & augustus repleat quis pocula luxus:
Quis sit ephœborum splendor, quæ cura, quis ordo:
Servorúmq; globum quæ sollicitudo volandi
Regis ad imperium teneat; quis fervor, ad omnes
Reginæ nutus, totam circumrotet aulam:
Quæq; gynæceum pulcherrima gloria pingat,
Danica dum virgo formosæ more Dianæ,
Aulâ progreditur, celebriq; in vertice cristâ
Obviat & formâ populum suspendere certat.

Naso

Naso canat facili decus hoc illustre camœnâ:
Quiq; solet teneros cecinisse Catullus amores:
Tu mea Musa patrem in nostro venerare Monarcha.
Justitiæ studeant alii celebrasse bilancem
Non precibus motam, lachrymâ non ubere flexam;
Pondere nec doni curvam, non Marte vel arte
Unquam corruptam, pro solo pondere rerum,
Et meritis causæ, pœnas & præmia semper
Rectè librantem. Fateor sat digna Marone
Materies, cunctis etiam dignissima Musis.
Ast in Rege patrem noster celebrabit Apollo.
Nam quando certis Danæ infortunia gentis
Narrantur ceris: casûs hos credis acerbos
Ut proprios FRIDERICE tuos. Mox pallidus ora
Horror obit: multus pulsat præcordia luctus,
Et cura & grandis rodit compassio pectus:
Astra ferit gemitus: complent suspiria lectum,
Infringit somnos vis compassiva dolorum:
Multáq; purpureum pia lachryma currit in ostrum.
Mox fixum est partem citò dimisisse tributi:
Aut aliam afflicti populi rescindere taxam:
Vel damna è propriis etiam delere crumenis.
Sic verus genitor luget dispendia prolis:
Suppetiisq; probat curâq; juvante parentem.
Et gemitus FRIDERICE tuus, tuus anxius æstus,
Et studium juvisse hominem, depellere damnum,
Te Regem patrémq; probant, talémq; perorant.
Ah liceat patris nunc oscula figere dextræ.
Hostili suecus cerebrum furiatus ab irâ
Sulphur & ignitas pice de fumante coronas,

Flammatósq; globos factósq; ex ignibus imbres
Nuper in Altnaviam bacchante furore pluebat
Exuritq; domos & tempestate flagrante
In fumum & cineres florem converterat urbis.
Quo tunc affectus hæc fata severa paternos
Vulnere læserunt! quàm cuspis acerba per imas
Intravit fibras, & totum è viscere patrem
Excutit! ingenti gemuit tunc regia luctu:
Plurima purpureum percurrit lachryma syrma:
Compatiénsq; jecur grandi exundabat ab æstu.
Sed simul augusti primaria cura parentis
Illa fuit: juvisse homines: intérq; favillas
Atque atros cineres reparasse ruentia regni
Pergama, & eversum rursus componere civem.
Ergo infelices quæ vectigalia quondam
Pendebant cives, Rex post hæc busta relaxat:
Atque animat stratam pia per solatia gentem:
Lignorúmq; struem, lapidis quoque plurima cocti
Millia, & innumeras de tigno atque imbrice curat
Adduci turmas: proprio juvat ære misellos,
Rursus ut à veteri consurgeret ilion igne:
Et consurrexit: veluti pulcherrima phœnix
Exivit busto: cladem meliore priorem
Evicit pompâ: major nunc gloria vestit
Altnaviam è cinerum cumulo fumóq; levatam.
Sed Regem patrem fortuna novissima clamat.
Ast nova tempestas concussit Danica rursus
Culmina: & augustum strages tristissima patrem
Provocat, afflictis urgens succurrere regnis.
Nuper ubi indomito mare per glaciale tumultu

Neptunus

Neptunus bacchatus erat, defluxit in Albim
Fumans & ſpumans: grandiq; inſanus ab æſtu;
Vallos & ripas & cuncta repagula Dani
Invaſit ſtravitq; Albis: mox pulveris inſtar
Et modici cineris vaſtiſſima valla per auras
Disjicit, & veteris modicam vix littoris umbram
Sede ſua liquit. Mox cum ſpumante procellâ
Erumpens clauſtris, uno quaſi turbine campos,
Pratáque, & adjectas cum pagis obruit urbes;
Et longè Danis ſtagnat velut æquor in oris.
Emoritur ſubmerſa Ceres, concepta coloni
Nupera ſpes meſſis ſale ſub mordente ſepulta
Et protrita jacet: rapidis à fluctibus hauſti
Occubuêre greges; periere armenta ſub undis,
Et ſine fine imo jacuere cadavera fundo:
Creber ab incuſſis in guttura fracta, procellis
Suffocatus homo, clades ſat triſtis, abyſſo
Abſorbente jacet, ſquamoſis victima monſtris.
Squalet regali miſerabilis horror in orbe.
Hìc quis turbatæ luctum depinxerit aulæ:
Quis gemitus Rex mœſte tuos, quis pectoris ægri
Enumeret queſtus! quis compatientis amores
Quíſve paternales poterit narrare dolores;
In vitris *i*) Evan, ad barbyta deſipit Orpheus,
Diſplicet *k*) Actæon. & venaturus Hylactor:
Riſus & excultæ gravis eſt comœdia ſcenæ;
Nec demulcentis pia blandiloquentia ſponſæ
Delinire poteſt: dolor admiſiſſe medelam
Abnuit, & vulnus quævis emplaſtra recuſat.

Horri-

i) Evan, Bacchus. Actæon, venator: Hylactor, nomen canis venatici.

Horribilis nimiùm ıpatrem pulſaverat ictus.
Lachryma ſola juvat, querulíq; è pectore luctus.
Sed tamen hi gemitus nequeunt reparare ruinas:
E re plus fuerat facilem monſtrare parentem,
Conſilio qui fata juvet, qui largior ære
Succurrat populis, operâsq; adducat ad Albim,
Fræna proceloſo rurſum circumdare ponto.
Ergo regali quàm plurimus ære paratur
Harpago, & innumeræ cudente pyracmone palæ,
Et crebrum plauſtrum, birotum, traha, truſile carrum,
Aggeris apta novi rurſum inſtrumenta parandi.
Eligitur miles: facti bona præmia penſi.
Rex ipſe addicit: data præcipit arma laboris
Arripere, in vallos iterum contundere glebam.
Nec mora, ſudatur: vaſtiſſima machina valli
Ducitur ad ripas Albis, frænare furentem
Incurſum ponti, dominatorémq; tridentem
Frangere; primævo concludere aquatica clauſtro
Numina: depulſo ſua reddere paſcua Fauno:
Priſtina rejectæ Cereri permittere regnæ.
Fervet opus: valli ſurgit vaſtiſſima moles:
Fluctibus opponit coſtas. Se tollit in auras
Agger, & aggeſti caput inviolabile collis
Erigit, immenſas curritq; paratus in oras,
Æternum Thetidi frænum pelagóq; futurus.
Sola ſimul magnis reſpondet ſumptibus aula.
Sed patrem Regem tellus atque æquora clamant,
Et clamant viduæ, poſt deplorata mariti
Funera, multiplici parva cum prole relictæ.

Nam

Nam dum magnanimus fortiſſima prælia conjux
Pugnat: & intrepidis animóſq; fidémq; machæris
Monſtrat: ab adverſo crebrò tamen ille Gradivo
Occidit: & fuſo virtutem ſanguine pingit.
Hìc cæſus conjux præclaræ encomia famæ,
Caſtrenſiſq; ſuæ decus inculpabile vitæ,
Dignáq; perpetuis centum exemplaria faſtis
Uxori natíſq; quidem laudanda relinquit:
Sed ſimul exhauſtam linquit perſæpe crumenam,
Et macram menſam, & vacui jejunia ventris.
Ergo uxor mœſtis ſua planctibus ubera tundit,
Ejulat, infrendet: quin deſperatio ſæpe
Evertit viduam: proles dum multa culinam
Currit: & occurrit maternis obvia curis:
Occurrítq; ſimul ſterilis penuria rerum:
Occurrit veteri viduatus ſacculus ære:
Occurrit lapſi ceſſare ſtipendia menſis.
En grandi mœſtæ matris cor ſcinditur ictu.
Sed mox decretum: FRIDERICUM ſupplice chartâ
Acceſſiſſe patrem: miſeri mala fata perempti
Demonſtraſſe viri: demonſtraviſſe relictæ
Uxoris caſus & fata miſerrima prolis:
Dum nunc poſſedit marſupia triſtis egeſtas
Quando tenet cœſum funeſtior urna maritum.
Spem ſolam cladis paupertatíſq; levandæ
Eſſe pium Regem, mitem poſt funera patrem.
En ſubitò patrem Rex per ſuſpiria monſtrat,
Pérq; ſuas lachrymas & conſolantia verba:
Sed magis ære probat: quando ille ſtipendia matri,
Aut proli annales ſuevit concedere cenſus.

Quod

Quod ſi fortè ſuo Danus certamine miles
Adveniat mutilus: dum flamina nitrata revulſit
A genibus lumbíſve pedem: dum plumbeus imber
A dextrâ digitos à corpore brachia rupit.
Erigis heroëm primus FRIDERICE jacentem:
Primus truncato pia tu ſolatia donas:
Primus te patrem toto de pectore monſtras:
Ære levas miſerum: reliquæ das annua vitæ
Munera: & in mutilo mille argumenta paterni
Congeris affectûs, per ditia dona laborans
Truncantis plumbi ſævos ſupplere furores,
Quis te clementem poſsit dubitare parentem:
Dum miſeram cladem pleniſſima gratia Regis
Conſequitur, durum quæ per data munera fatum
Mulcet, & addicto levat infortunia cenſu.
Te dicet Mars ipſe patrem; te Danica talem
Patria clamabit: te dulci hoc nomine totus
Cantabit mundus. Sin his à laudibus unquam
Ceſſabunt homines: ſilices, & ſaxea rupes,
Lignáque, & in noſtris elinguia mœnia pagis
Te patriæ patrem ſuavi reſonare tumultu
Pergent, & mutis encomia dicere buccis.
O igitur liceat genibus procumbere patris:
Affectúmq; imis totum egeſſiſſe medullis.

Glückſtadium

Sua obſequia, vitam, & ſanguinem SERENISSIMO Regi *dicat & conſecrat.*

O Pater regni generoſe vive.
Accipe à cuncto pia vota cive:
Optimo currat tua cymba Cauro
plenáq; lauro.

O

O Deus ſerva patriæ parentem.
Hunc coronatum populi Regentem,
Sæculis ſalvum tueare mille
nam meret ille.
Singuli vitam tibi conſecramus:
Sanguinem totum Domino dicamus
Omnium noſtrûm bona ſint potenti
ſacra parenti,
Si ſalus Regis poterit cruore
Protegi noſtro: patris ex amore
Civitas prompta eſt tolerare fortem
ſubdita mortem.
Ergo Rex vivas peramande rurſum
Et tuum vitæ ſeniiq; curſum
Cœlites multo ſatient honore
atque favore.

In Titii hiſtoricum librum.

Vrget Poëta ut prodeat; ob elegantiam dignus publico: quem ſi Momus mordeat, reddat ipſi ictum. Libri venerei, ſcommatici, mendaces maneant ſub tenebris, qualis cùm liber Titii neutiquam ſit, videat lucem. Pallas & Apollo manu ducant, blattas & mala fata abigant, ut duret æternum.

ERgo ſubi ſolem, patulóq; ſub aëre proſta
Hiſtoricum Titio bene doctum authore volumen

Egre-

Egredere è tenebris: ergastula desere præss:
In plateas effer frontem: stet nobile toto
Os corpúsq; foro: tua gloria publicá fiat.
Tot claræ phaleræ monumenta per illa coruscæ;
Tótq; per historiam præclara luce micantes
Dispersæ gemmæ, tot florum pendula *l*) serta
Non patiuntur opus cœcis sordere latebris
Et sub fœtenti veluti putrescere scamno:
Quin decor hic lucem, populosáq; compita poscit:
Urget & in cunctos ubicunque incurrere visus.
Dúmq; sub his chartis plenis facundia buccis
Differat, ingentiq; stylo Borealia narret
Gesta patrum, & veteris portenta heroica gentis:
Ut sic excussum sese septentrio sæpe
Ipsemet obstupeat: quid ni mereare patentes
Auras docte liber, totóq; excurrere mundo.
I faustis avibus: dextrâ te ducat Apollo:
Ipsaq; te lævâ teneátq; levétq; Minerva,
Aspera sollicitâ propellens *m*) ægide fata.
Quod si te critico corrodat sannio dente;
Momus & infestos monstret sarcasticus ungues:
Ne trepides, curésve canem: tempsisse molossum
Magnanimus consuevit equus, licet ille latratu
Frendeat immenso, vicináq; moenia pulset
Dic Momo: librum quid garrula vipera carpis!
Es carpi dignus, dum nil nisi carpere nosti.
Dic Momo: fauces citò comprime *n*) amuse balatro:
Mordacem mordax repetivit sæpius ictus.

Dic

l) Sertum. corona est. *m*) Ægis, est scutum. *n*) Amusus, osor literarum.

Dic Momo: rodis conatus invide nostros
In promptu causa est: melius componere nullum
Novit opus blatero, tantùm consumere fruges
Natus, & indoctas asinorum augere catervas.
Dic Momo; video, tibi dens est multus & acer,
Sed nullum cerebrum; melius sine dente cerebrum est.
Sic morsum morsu frangas: audacéq; mundum
Ingressu subeas. Digna est tua frontis imago,
Quam lustrent juvenes, lustret longæva senectus,
Acribus illa oculis percurrat, & ista specillis
Discutiat centum; satis exornata *o*) Cleantis
Ad lychnos icon est: juro ego Pallados arma:
Publica, non oculos tantùm sed cordis amores
Multorum rapiet: multo celebrabitur ore.
Vade ergo historia: in medio te sistere sole
Audacter propera. Multa admiratio mundum
Attonitum rapiet: plenis encomia plaustris
Current: dum plateis tua gloria stabit apertis.
Certò (crede mihi) sibi tunc gratabitur ipsa
De tam præclaro partu studiosa Minerva.
Si quæ sunt chartæ quæ fescennina theatra
Exhibeant Veneris, spurcósq; ab arundine ludos
Cantent, & satyros celebrent, Faunósq; salaces,
Incestósq; ignes, nocturnáq; furta Deorum,
Stupráq; fœda Ducum stuprato carmine narrent
Hæ chartæ, ingenii veluti monstrosius abortus,
Et veluti sordes, veluti cœnosa mephitis,
Excrementa velut spurcam ructantia pestem,
Damnentur tenebris, ipsas subisse latrinas

X Cogan-

o) Cleantes, pro diligente studioso.

Cogantur, similes sordes ut sordida Musa
Inter putrescat, bene nobilis ossa futura
Cerbereo bruto, & stygiis jentacula spectris.
Tu loqueris casto codex mundissimus ore:
Nec scarabæorum tu more proboscida gyras
Per spurcum Veneris cœnum, per adultera mœchi
Facta Jovis: dulces rixas & prælia amantûm
Transis; ad nugas hæc turpia bella Catulli,
Ad Nasonis epos, lasciva ad metra Tibulli
Abjicis: hi miseros in tali sorde triumphos
Venentur stolidi. Calamo tibi *p*) sepia manat
Castior, & Veneris nullos exhalat odores.
I propera, & patulum subeas liber optime solem.
Scommatibus quæ charta tonat, multóq; ferocit
Fulmine in insontes, cogítq; tonitrua metri,
Ut frangat tali laudatam turbine famam:
Hæc maneat pullâ crepitans sub nocte papyrus:
Hæc inconsulti fabricatrix Musa tumultûs
Squaleat æternis meritò damnata sepulchris.
Scommaticum tonitru, rabidi convicia rictûs
Atra Lycambeos redolentia carmina dentes
Hic Titii nescit codex: insontibus agnis
Non est ille lupus, non dirus scorpio genti
Innocuæ: potius scuto, sanctáq; tuetur
Irâ inculpatos: magis acri cuspide figens
Pro meritis sontes, moderati carminis inter
Septa tamen, nullam monstrans per scommata bilem.
I propera, & patulum subeas liber optime solem.
Quæ mera divendit vulgo mendacia charta,

Fumo-

p) Sepia, pro atramento ponitur.

Fumorum tantùm creperus q) propola novorum,
Et per hyperbolicas muſcam, r) gryllúmq; figuras
Augens immenſum: pygmæus ut ore gigantis
Proſtet: & ingenti pulex elephantis in armo
Prorepat: fuciſq; ſuis infaſcinet orbem:
Hæc ad cimmerias ſit charta abjecta tenebras,
Æterno tumulanda chao: fallacia toto
Excedant hæc s) ſcruta ſolo: duo puncta papyri
Haud maneant: unum è tali farragine comma
Manſerit immeritò toto ſuper orbe ſuperſtes:
Aſt hæc authoris monumenta libraria noſtri
Non mendacivomos conantur vendere fumos:
Non convaſatis tumidos erroribus utres
In vulgum effundunt, & anilibus oppida t) gerris
Complent: deluſas mendax ſuſpendat ut aures
Fabula, mentitis ſolummodo garrula nugis.
Sed pulſis falſis bene cautus vera propinat
Ille tomus, longè veterum licet eruta ſæclis.
Pondus ineſt u) philyris; tripodem dictaſſe putares
Phæbeum, narrantis x) energica verba papyri.
I propera, & patulum ſubeas liber optime ſolem.
Téque novem Muſæ, te Pallas & ipſus Apollo
Circumſtent omnes, ſtygiæ lethale venenum
Invidiæ pellant, & tentamenta nocivæ
Infringant fraudis, crudi morſúſq; Theonis
Avertant longè, blattas tineáſq; voraces
Atque alios abigant caſus & funera libri:

q) Propola, mercator eſt prima communis. r) Gryllus, certus vermis. s) Scruta, vilia utenſilia. t) Gerræ nugæ. u) Philyra, pro folio majore. x) Energicus, ſeu efficax.

Ut pereat nullis opus admirabile fatis:
Sed Jove cum cano certet, superétq; senilem
Nestora, & æternum sine clade perennet in ævum.
I propera, & patulum subeas liber optime solem.

RHYTHMICA
felicissimi anni novi
apprecatio
ad Perillustrem Strenuúmque
CASPARUM COLONELLUM.

HOC precor, hoc plenis optant mea carmina venis,
Annus ut hic lætus, multáq; in pace quietus
Et sanus totus, nulla vertigine motus
Ignarus fellis, plenissimus undique mellis
Currat Casparo, per prælia fortia claro:
Cœlum exoptatis beet hoc in tempore fatis:
Atque animi totum, conetur reddere votum.
Ut fortunatus cunctóq; ex nomine gratus
Anni sit cursus, quem cœli gratia rursus
Mundo donavit, nostræ vitæq; paravit.
Sed sat bellorum est, veterúmq; ex Marte laborum
Est sat pugnarum ferro victore suarum.
Hic annus pacem, non hostem ardore minacem
Apportet lætus, varióq; lepore factus.
Incursum hostilem nigrámq; ab *y*) alastore bilem
Ignoret

y) Alastor, genius excrucians,

Ignoret totus, nullo de turbine motus.
Pacis habe fructus, non ullo ex funere luctus:
Tantáq; post bella invadat te nulla procella.
Denique lustrorum veniat tibi turba bonorum,
Quæ te longævum, portantem Nestoris ævum
Demum post tritam cum plausu laudéq; vitam
Ad stellatorum vehat atria sancta polorum.
Sic opto rursum. sic rhythmi finio cursum:
Et famulus cunctum promptissimus expleo punctum.

Dithyrambus
gratulatorius rhythmicus
Quo
SERENISSIMO GLORIOSISSIMO
PRINCIPI
CAROLO FRIDERICO
&
LECTISSIMÆ CONJUGI
CATHARINÆ ALEXUWINÆ
Holsatiæ, Schleswici, Stormariæ, Ditmarsiæ Ducibus,
Oldenburgi, Delmenhorsti Comitibus,
Norwegiæ Hæredibus,
è Moscovia per mare in Holsatiam adventantibus
Felicissimum ad suos adventum officiosissimè,
humillimè gratulatur,
& beatissima fata sincerissimo affectu apprecatur
Musa officiosissima Catholica.

QUin jam Parnaſſus ſua plurima gaudia faſſus
Jubilat, & clangit, centenáq; barbita tangit:
Centeníſq; modis, centúmq; canentibus odis
Exultat totus, geminóq; cacumine motus
Oeſtro plaudenti, riſuq; metróq; frementi
Certat: ut in vivis ſint plena tripudia clivis.
Jam citharis Clio feſtivum perſonet io;
Jam verſus pangat, jam cantu nubila frangat
Come Thalia lyras, artes Polyhymnia miras
Congere, jucundas ad lætæ Phocidos undas.
Nec tu cede jocis, néve in certamine vocis
Calliope Nymphe, ſacræ de gurgite lymphæ
Pocula terna bibes, Phœbo quæ provida libes,
Unde hilaris ludas, & ovantia jubila cudas.
Túq; aganippeo plenum cratera Lyæo
Phœbe tuis Muſis nervis & viribus uſis
Sæpe propinato cantandáq; ſacra juvato:
Námq; exoptatum poſcit certantia fatum
Jubila: & è plenis fluitantia gaudia venis
His fortunatis, his térq; quatérq; beatis
Debentur rebus debentur Phœbe diebus.
Sed nec te verbis, nec ſuſpendiſſe z) parergis
Pluribus audebo, felicia fata docebo,
Queis applaudendum lætóq; furore canendum.
En Ducem noſtrum reducem tenemus,
Principem ſalvum Carolum videmus:
En Kilonenſi ſtitit hunc in orâ
nupera prora.

Quis

z) Parerga, accidentalia ornamenta ædium extrinſecus.

Quis queat festos cohibere plausus?
Quis triumphales retinebit ausus?
Jubilos ecquis queat in tacente
claudere mente?
Hoc caput sacrum bene mille votis
Imbre non rarò lachrymante lotis,
Redditum fidus populus petebat
atque volebat.
Quis preces posset numerare gentis?
Quísve singultus patriæ gementis?
Quísve cunctorum queat inquietum
dicere fletum?
Dum polo sanctam prope vim parabant,
Et sibi reddi dominum rogabant,
A suis quem trux mare dividebat
& prohibebat.
Quàm diu princeps aberat remotus,
Holsatus luxit, gemuítq; totus:
Ipsa nec Bacchi sapuere genti
nectara flenti.
Ipsamet visa est gemuisse tellus:
Dum caput nescit populus misellus,
Gramen & messis lachrymasse dicta
atque salicta.
Hæc frequens nubem pia vox agebat:
Creber hic auras sonitus replebat:
Carole augustum decus Holsatorum
vita tuorum,
Carole in quânam regione vivis?
Te tuus poscit rediisse civis:

Holſatus quivis ſine te gemiſcit
atque fatiſcit.
Ah ubi tandem Caroline princeps
Eriges ſedem ſtabilem deinceps?
Hos tuos agros propera ſubire
nóſque require.
Ah ubi es tandem mea cara vita?
Tot tui votis populi petita?
Quæſo quæ te gens tenet impolita
quíſve Tomita?
Sæpe nos Echo blaterans feſellit,
Spem tui factam penitus repellit,
Et novo pectus quatit à dolore
membra tremore.
Clamo, dux ſemper meus emanebit?
Garrit hìc Echo facilis, manebit:
Clamo, num ſemper ſcytha te tenebit?
illa, tenebit.
Ludor, agnovi, tamen inde flevi:
Lachrymâ & planctu gremium replevi.
Spem mihi, dixi, rapit illa Diva,
bellua viva.
Qualis in noctis tenebris ſepultus,
Vertit ad ſolis Pyroenta vultus:
Et ſuo primùm à gemitu quieſcit,
quando dieſcit,
Carolo tales gemimus profecto,
A ſuis, totis maribus reſecto:
Et ſumus noctis velut in rigore
frigidiore.

Qualis in brumæ ſterilis furore,
Ipſe ſtat lugens ager à dolore,
Et cupit veris reducis decorem
floris honorem:
Holſatus talis Carolum gemebat:
Ver hyems nobis erit, inquiebat:
Dux adhuc unâ bone quando meſſe
pergis abeſſe.
Hæc dies tandem pepulit procellam:
Hæc novam cœlo meliore ſtellam
Exhibens, tandem populum beavit
nos ſatiavit.
Nam Dux ipſe moras, tam longas Carolus horas
Dudum damnavit: navéſq; ſcaphíſq; paravit:
In freta deſcendit, reditúmq; in Kile tetendit:
Æquora ſulcavit: factum Deus ipſe probavit.
Hinc ſalvus totus, nullo diſcrimine motus
Portus intrabat, Carolúſq; in littore ſtabat.
Ergo age lætemur: lepidi nunc eſſe jubemur.
Quin exultamus, ridentia feſta paramus:
Et facimus multum ſaltando jocando tumultum.
Holſate languorem, veterem depone dolorem:
Jam poſt angorem, lætum inſanire furorem
Fas fuerit plenum: Cœlum modò perge ſerenum.
Juro Jovem nigrum, Phlegetonta, Acherontáque
pigrum,
Caligo pulſa eſt: nox eſt atque umbra revulſa.
Qui Carolus Dux eſt, noſtro idem jugere lux eſt.
Hoc ſole à vivo noſtro eſt mera gloria clivo.
Hoc eſt ſub Phœbo (quid enim ſat vera taccbo)

 Clara

Clara virénſq; æſtas, hyemes hoc ſidere mœſtas
Holſatus ignorat, nec frigora barbara plorat.
In nos lugentes, penè ipſa morte rigentes
Hic Phœbus vitam multo prope vulnere tritam
Dat rurſum lætam, varióq; lepore facetam
Ut pyrus & cornus, languénſq; in montibus ornus
Poſt brumam effrontem, pergunt attollere frontem,
Et vitam & florem, veterémq; in fronde virorem
Omnibus oſtendunt, ſtuctúmq; in vertice vendunt:
Dum ſol majalis rediit ferventibus alis:
Sic calor in nervos, in fidos vitáq; ſervos
Intravit rurſum, dum noſtra ad jugera curſum
His Carolus Phœbus vult inſtituiſſe diebus.
Mille tibi grates hoc dico carmine vates
Triton, atque Thetis, Nymphíſq; per æquora lætis,
Et Neptune tibi, quo leges principe ſcribi
Sueverunt, undis quæ ſint facienda profundis;
Grates mille fero, quamvis de pectore ſero,
Quod mare frænaſtis, quod ſquamea monſtra ligaſtis,
Quod ſævos fluctus, qui ſunt ſæpiſſima luctûs
Cauſa, infregiſtis, fortiq; tridente ſcidiſtis,
Et ponto ſcenam ſatis indulſiſtis amœnam:
Dum freta tranſiret Carolus, littúſq; ſubiret.
Et tibi centenas affectu laudéq; plenas
Æole dicamus grates, factóq; feramus;
Quod Boream armatum nivibus, glaciéq; gravatum,
Vulturniq; minas, ſylvarum ſæpe ruinas
Antro clauſiſti, nec deſævire dediſti:

Dum

Dum rate currebat Carolus ſpumáſq; ruebat.
Sed tibi cum primis pie Chriſte ex cordibus imis
Dicamus grates. Fueras tu fidus Achates,
Tu ductor certus: ac te tutante repertus
Turbo fuit nullus: non hoſticus impetus ullus,
Non homo non brutum, non monſtrum à fune ſolutum,
Non ſtygii porci, non furvi Cerbereus orci,
Non fera tempeſtas, penoris neque triſtis egeſtas,
Paſſæ veloces modicum ſint unde celoces:
Aut breve diſcrimen prohiberet tangere limen.
Dulce poli Numen fuit alta per æquora lumen,
Forte Duci ſcutum, monſtrans iter undique tutum:
Omnibus æqua ſalus, ut nulla pericula malus
Sciverit: aut natum foret accuſabile fatum.
Alme pater cœli tu noſtri ſuſcipe zeli
Grates æternas, quas ne Deus optime ſpernas.
Holſatus útque ſtatus plus ſit poſt munera gratus,
Purpureum rorem Chriſti de carne cruorem
Offerimus munus, liquor hic ſuffecerit unus:
Dono tibi Chriſtum, tu non deſpexeris iſtum.
Quémq; Ducem genti voluiſti reddere flenti
Hunc ſerva ſanum, conſerva in ſæcula canum,
Prole augmentatum multáq; à ſorte beatum.
Jam veni è tectis numeroſe civis
Quiq; ſub noſtro redeunte vivis
Carolo, accurras patriæ inquiline & peregrine.
Vota complevit tua ſummus axis
Fauſtitas frænis volat alma laxis:

Quódq;

Quódq; tu dudum cupidus petisti
jam tenuisti.
Cerne votorum pie serve metam
Principis frontem meditere lætam:
Cordis affectum satura videndo
suscipiendo.
En adest totus: populo patescit:
Et suos inter placidus quiescit:
Pasce jam visus animósq; civis,
incola quivis.
En adest totus: superátq; sanè
Spem suæ gentis: meliórq; planè
Adstitit quàm vel vaga fama finxit
chartáve pinxit.
En adest totus generosus heros:
Livor affectus cohibe severos:
Holsate allato Domino fruare
exsaturare.
En adest totus: bona gens quiesce:
Gloriam vultûs solidam stupesce:
Grande mireris decus illud oris
exterioris.
En adest totus: meritus rotare
Regium sceptrum: solióq; stare
Semper augusto: generare Reges
dicere leges.
Egere affectum repetendo vota:
Cordequæ promas animâq; totâ
Vive die noster borealis Hector
optime rector:

Vive

Vive ter felix: senium sybillæ
Ter quater vincas: superésq; mille
Nestoras canos: subcásq; verò
sidera serò.

Sed necdum vivus cessat Deus esse dativus:
Quin plus donavit: quin ulteriore probavit
Munere majores in nostrum clima favores.
Clarus adest conjux, comes est clarissima conjux,
Quæ ripam ascendit Caroli dextrámq; prehendit,
Atque in germano voluit considere plano.
Post fractos fluctus placet hìc deponere luctus.
Holsate subsulta: fortuna & gratia multa
Immerito venit: dum par tam nobile venit.
Hæc magni Zahri Russo diademate clari
Filia, tam patris, quàm magnæ maxima matris
Gloria, Russorum per grandia rura suorum
Sideris in morem fulsit, sparsitq; decorem.
Nec modò sunt caulæ, sed & omnes Cæsaris aulæ
Semper miratæ decus haud imitabile natæ.
Ad quod cùm multus virtutum in virgine cultus
Dudum accessisset, comes assiduúsq; fuisset:
Nympha fuit genti persæpe putata stupenti.
Sunt qui jurarant testem Ditémq; vocarant,
Esse vel humanam tanto sub honore Dianam,
Terrestrémve Deam, vel veram è valle Napæam.
Ast hæc Nympha tamen vobis in grande levamen,
Holsaticum fundum ignotum post æquora mundum
Nunc properè intravit sedémq; externa probavit.
Cernite fronte nives miracula cernite cives;
Aspice turba patrum, frons est divina theatrum,

Quo

Quo charites ludunt, ſua blandimentáq; cudunt:
Quo ſedes juſtas ſibi legerat ipſa venuſtas,
Quo, quod mirereris, pompa eſt creberrima veris,
Quo pia majeſtas & formæ ſumma poteſtas
Certant pro lauro, ſi non pro divitis auro.
Juro tibi ſanè per myſtica ſacra Dianæ
Hac Venus in forma decoris radiantéq; norma
z) Idam conſcendit, victrixq; ad tecta tetendit.
Hos Danaë flores, hos dulces frontis amores
Tunc oſtendebat: dum Jupiter ipſe volebat
Ros eſſe auratus, Nympham expugnare paratus.
Hoc Helene vultu, nimiùm ſplendentéq; cultu
Seſe jactavit, Paridem dum flamma cremavit.
Nunc plebs in bellas oculorum reſpice ſtellas:
Quàm fulgor blandus, quám cunctis ſplendor amandus!
Quàm fax illuſtris! centum digniſſima luſtris
His hirquis exit, virtus quos optima rexit!
Atque hæ a) pupillæ faciles dulcéſq; favillæ
Quàm ſunt vivaces! ferrum moviſſe capaces,
Sed non fallaces, Veneris neque more procaces,
Aſt blandæ, & mites, aptæ componere lites,
Aptæ tum taxum, tum durum frangere ſaxum,
Aptæ latrones, aptæ emollire dracones,
Aptæ vel veram mitemfeciſſe Megæram.
Et quis quæſo genas ſatit admiretur amœnas?
Illo b) malarum jucundo rure duarum
Permixtim ludunt, ſpectacula ſuavia cudunt
Purpura pictarum multùm veneranda roſarum

Et

a) Pupillæ in genitivo. b) Malæ, pro genis.

Et Dircæorum candor præclarus olorum:
Quæ bene cultarum floralia rura genarum
Tam pulchrè fingunt, tam blanda in imagine pingunt
Ut nil fœcundus mage norit amabile mundus.
Sed quid tam fusâ vultûs præconia Musâ
Mirans expono, & formæ me recreo dono?
Quin magis internas interno lumine cernas
Nimphæ virtutes, tacito quas corde volutes.
En talem vultum tot dotibus undique cultum
Fastus habet nullus; nec fronte superbior ullus
Est radiante tumor: certus volat æquore rumor:
Præsens cum fœdis sin ipsa superbia tædis
Esset, & hanc mentem volet accendisse nitentem:
Frustra est tentamen, tædæ sat inane levamen:
Conatus fractus, fastus remanebit abactus,
Demissi affectus complentes nobile pectus,
Ac humiles mores, mentis, frontisq; pudores
Atque exquisitæ veneranda modestia vitæ
Sunt firmæ & fortes: non frangent mille cohortes
Non phlegeton totus posset divellere motus.
Ille humilis sensus, sat rectè singula mensus,
Vestes componit, mensuram in syrmate ponit,
Temperat & vinum, mensæ moderátq; salinum:
Carmina raucarum frænat generosa tubarum:
Excussit fluxum de tecto & corpore luxum:
Direxitq; domum: risitq; modestia Momum.
Inde humilis claras devotio tendit ad aras:
Quas precibus, tundit, sua dum suspiria fundit:
Et pia fervescit, cœlos per vota lacessit,
Tota Deo pendens, sancto super æthera tendens
Cordis

Cordis ſingultu; demiſſo ad ſingula vultu:
Mox pia in afflictos, fortunæ caſibus ictos
Sublevat impenſis, plenis juvat optima menſis:
Atque in centenos æris vel veſtis egenos
Projicit argentum: moréſq; imitata parentum,
Arte juvat quâvis, cunctis pia, candida, ſuavis.
Sed quò laus pergit? quò noſtra induſtria vergit?
Ante ego vel gramen numerem vel jugere ſtramen;
In ponto ſquamas, montíſq; in vertice damas,
In ſylvis uros, lapides in littore duros
In campis culmos, virides in ſaltibus ulmos
Ante recenſerem: quàm dinumerare valerem
Virtutum omne genus, ſinus eſt quo munere plenus.
Quin has ad laudes, promi quas Holſate gaudes,
Nympha rubet frontem; prope vult me dicere ſontem,
Quod tam demiſſam metro celebrante Duciſſam
Sic exornarim, ſic in ſpectâcla pararim,
Sed tamen ignoſces, dum clementiſſima noſces
Quod metra panxit amor, quod ſurgens carmine clamor,
Nunc ſit amoris opus: teſtis mihi ſtella canopus:
Solus amor juſſit, qui nos caſtiſſimus uſſit.
Et nunc Moſca veni, populum comptiſſima leni,
Unam Nympharum te dicet turba ſacrarum,
Et ſimul felix pia Nympha vive:
Te diu ſervent, recreéntq; Divæ:
Adjuvet promptus tua fata Chriſtus ſanguine miſſus.

Illc

Ille fortunam regat invidentem:
Et tibi semper faciat faventem:
Gloriæ, ut vestræ studeat parandæ
& cumulandæ.

O Deus, vindex opifer bonorum
Principe à nostra remove malorum
Tela morborum tueare sanam,
protege canam.

Flamma non urat gremium febrilis.
Concoquat rectè stomachus senilis:
Nec sacram Nympham mala fata frangant
imò nec angant.

Prolium matrem cumulus coronet:
Queis Deus tandem diadema donet:
Quas velit sceptrum manibus rotare
regna parare.

Singulos demum velit evocare
Numen ad cœlos: & ibi beare
Gaudiis omnes, ubi vera tritæ
gloriæ vitæ.

IN NUPTIAS NOBILIS ORNATISSIMI DOMINI D. CAROLI BUDIN

Civis Glückſtadienſis

ET

LECTISSIMÆ VIRGINIS JULIANÆ DANCKWART

in oppido Brocktorp celebratas.

UNde ergo læto Brocktorpa per arva tumultu
Feſtivi caluere ſales? & ovantibus odis
Sacrum clangit io? claróq; per aëra plauſu
Inſonuit? pagos campóſq; domóſq; triumpho
Implet? ut ad lætum titan quoque rideat æſtum.
Aſt Hymenæus adeſt video, quid feſta ſtupeſcam
Orgia, & ardentes ſalibus jocularibus ædes?
En Hymenæus adeſt: niveámq; ad candida ſponſam
Brachia deducit Danckwartam: illámq; Budino
Nympham offert: tantúmq; decus, tam nobile gentis
Holſatiæ Danæq; jubar, gemmámq; vetuſtæ
Stirpis, & auguſtam generíſq; locíq; Dianam
In ſacra Budino tradit connubia noſtro.
Hinc luſu pagus, chorus hinc à plauſibus ardet:
Totus & agnatus ſanguis ſua jubila pleno
Pectore teſtatur: ſeſéq; in gaudia laxis

Effundit

Effundit frænis, riſúq; jocóq; triumphat.
Sed mea cur tacitis hic adſtet aſymbola metris
Muſa? triumphali dum totus campus & aër
Infremuit ludo, reſonos Echóq; cachinnos
Adjuvat, alterno repetens læta orgia riſu.
Quin mea Muſa venis, vocalia barbita tangis:
Atque exultantes modulato carmine plauſus
Lætabunda juvas, animáſq; choreumata verſu.
Sed dum cantandam meditatur Muſa Camœnam,
Obſtupet ac hæret: tremulos tenet ecſtaſis artus,
Abſorbétq; animum: ſponſæ nam clara venuſtas
Obviat; & frontis Charites, oríſq; lepores,
Et roſa malarum, & nivibus permixta decoris
Purpura, virgineo collo mentóq; refulgens
Occurunt, viſúmq; implent, mentémq; ſtupentem
Abripiunt: omnem ad miracula ſplendida ſenſum
Vertunt: attonitum complent novitate cerebrum.
Ad quæ dum major reſidens in pectore virtus
Accedit, dotéſq; animi, ſpecioſáq; mentis
Gratia, virginei ſacrata modeſtia vultûs
Et cordis pietas, fallúmq; exoſa voluntas,
Atque aliæ virtutis opes ſe perpete nexu
Conjungunt; muto ſubſiſtit carmine Muſa:
Séq; cheléſq; ſuas oblita, per omnia viſu
Atque animo Nymphæ miracula currit:
Et verba & voces & cœpti carminis odas
Perdit, præq; mero ſtat jam taciturna ſtupore.
Hoc tamen edico: per raptam Aganippide ſpumam,
Et per pegaſei caudámq; jubaſq; caballi
Juro: felicis fuit hæc fortuna Budini

 Quod

Quod Pan, quod Phœbus, quod Mars, quod Ju
piter ipſe
Tempore non vivant noſtro: ſi vivus in orbe
Rivalis Divûm cœtus foret ille ſuperſtes:
Illa ſuo nunquam Galatea decora Budino
Manſiſſet: certiſſima præda rapacibus illis
Vulturibus direpta foret: virtúſq; decúſq;
Danckwartæ, & clari pulcherrima gloria vultûs
His in laſcivis talem accendiſſet amorem
Quem Julianei tantùm ſaturare valerent
Amplexus, niveúſq; decor, donatáq; Nymphæ
Oſcula, & optatæ poſſeſſio plena maritæ,
Tunc Danae vix nota Jovi, nec Apolline Daphne
Tacta foret, Paridi vileret Tyndaris ipſa,
Nec panſas Echus Pan amplius iret in ulnas:
Sola foret Danckwarta Helena: ac hæc una Deorum
Præda eſſet: ſpoliúmq; ſibi lachrymante querela
Ablatum gemeret Budin, pro virgine ſponſa
Solam complexus Floræ admirabilis umbram.
Aſt alius fuerat fati non flexilis ordo.
Noſtro Budino Danckwartam Numina ſponſam
Servarunt, ſoli Carolo propriámq; dicarunt.
Ergo tene Divûm munus: complectere Nympham;
Carole: & ardentes in amanti pectore flammas
Danckwarta dulci ſatia: nec Jupiter ullus
Fulmineo ſævus tonitru, nec ſanguine ſtillans
Mavors, nec fraudum fictor vulpinus Ulyſſes;
Ipſa nec inferno veniens Acheronte Megæra
Tartareis ſtipata umbris, rapuiſſe puellam
Acceptam poſſit: tua ſit maneátq; Diana.

Vos

Vos nunc terrestres Nymphæ, vos Numina ponti
Currite: & ad nostros genialia munera sponsos
Ferte: ut felici celebrent connubia sorte.
Flora fer sponsis tua lecta dona:
Adsit è flavis violis corona:
Lilii nimbos jace! fer bonarum
serta rosarum.
Floreâ hac pompâ roseum cubile
Conjugum spargas: geminum sedile
Come narcissis, thalamósq; flore,
veris honore.
Fer Ceres plenas bene larga spicas:
Fabrica nullas mihi tarda tricas:
Plurimâ sponsos satures agrorum
messe tuorum.
Bacche fer plenis pateris falernum:
Io io vivat resonet quaternum:
Adjuvet festi Deus ille vitis
gaudia mitis.
Fortè si sponsi properante nave
Pervolent undas, iter oro suave
Tethys indulge: moveátq; bella
nulla procella.
Æole infestis tua fræna ventis
Injice: & loris cohibe retentis
Africi pugnas, Aquilonis iras
turbine miras.
Optimus pulset Zephyrus phaselum:
Castor & Pollux super omne velum

Fulgeant

Fulgeant læti: volitet minore
prora labore.
Hymenæe te nunc præsidem sacrum tori
Te magna Juno per maritales tuas
Adjuro tædas: pelle funestam strygem,
Ululámq; pelle: nullus hic bubo strepat,
Oménve triste concinat, casus mali
Cladísve præco: sola felici metro
Alauda resonet: déq; cœlesti domo
Beata fata nuntiet. Creperus procul
Absit tumultus: obloquax oris fragor,
Æstúsq; discors, & reluctandi ferox
Absit libido. Suspicax cordis dolor,
Zelotypus ignis, ossa corrodens pavor,
Rixosa utrímq; studia, Xantippe latrans,
Furénsq; semper Hercules absint domo,
Absint perennes. Mutuus domum regat
Consensus animi, rebus in cunctis quies,
Eadem voluntas conjugum Pacem neque
Mendace frangat palpo vel *b*) alastor dolo,
Nec Pluto furiis: nec suis falax *c*) Sinon
Odis amores vulneret. Perstet fides
Amórq; primus. Totus ad tædas polus
Plaudat jugales. Lugeat, gemat, fleat
Styx tota lemurum, gloriam quando videt
Connubialem. Túq; cœlorum faber
Et magne mundi conditor, feras polo
Impone stellas conjuges, certas tamen.
Ubi tunc perenni fulgeant simul face.

Ipsúmq;

b) Alastor, genius crucians. *c*) Sinon, homo fallax.

Ipsúmq; fulvum Cynthii vincant jubar.
Extemporalis Musa sic toto vovet
Ex corde sponsis, offerens suum simul
Servire studium.

INDEX.

Jupiter

)o(

Pagina	Lin.	Errata	corrige.
8	13	fui	ſui
17	15	repellis	repellat
18	ultima	Pyræmon	pyracmon
17	ultima	autiga	auriga
20	4	udubat	ſudabat
36	4	ſcelus	ſcelus
37	10	Decembris	Decembri
40	18	concurus	concurſus
49	9	prymanthei	Erymanthei
69	5	cohors	choros
72	penult.	oras	aras
76	5	tentata	dentata
119	25	immenſam	immenſum
142	1	& intrepidum	intrepidum
191	18	ultror	ultor
194	ult.	hypagine	hippagine
208	17	jure	jura
262	12	juvitáſque	invitáſque
269	12	choreumate	choreumata
277	15	Mœdea	Medea
317	20	regnæ	regna
317	24	cœſum	cæſum
324	penult.	factus	façetus